




S. EPHRÆM SYRI

COMMENTARII

IN EPISTOLAS D. PAULI

S. EPHRÆM SYRI

COMMENTARII

IN EPISTOLAS D. PAULI

NUNC PRIMUM EX ARMENIO IN LATINUM SERMONEM

A PATRIBUS MEKITHARISTIS

TRANSLATI



VENETIIS

EX TYPOGRAPHIA SANCTI LAZARI

MDCCCXCIII

LEONI . XIII

PP . MM

QUINQUAGESIMUM . ANNUM

POST . PONTIFICALES . HONORES . SUSCEPTOS

VIRIBUS . CORPORIS . MENTISQUE . INTEGRIS

IN . SEVITIAM . TEMPORUM

ANIMO . ACERRIMO . PUGNACI

UNIVERSO . ORBE . LÆTITIA . PRÆCIPUA . GESTIENTE

INSTAURANTI

MONACHI . ARMENI . MECHITARISTÆ

EX . INSULA . S. LAZZARO . VENETIARUM

OMINA . FAUSTISSIMA . VOTA . PLURIMA

OBSEQUENTI . EXHIBENT . STUDIO

CUIUS . UT . ARGUMENTUM . EXSTET

HOSCE . IN . EPISTOLAS . D. PAULI . COMMENTARIOS

A . S. EPHRAEM . SYRO . EXARATOS

IN . ARMENIA . TANTUM . INTERPRETATIONE

HACTENUS . SERVATOS

NUNC . LATINE . REDDITOS

PONTIFICI . DOCTISSIMO

PARENTI . OPTIMO . INDULGENTISSIMO

DONO . ALACRI . VOLUNTATE . MITTUNT

ANIMORUM . ADDICTORUM . SENSIBUS . CUMULANTES

UT

DEUS . BONUS . PROPITIUS

SUIS . TANTISQUE . POPULORUM . VOTIS

ARRIDEAT.

PRÆFATIO

S. Ephræmus, Syrus, auctor huius operis, quod in lucem edimus, unus ex splendidissimis Ecclesiæ Orientalis luminaribus et celeberrimis doctoribus, a sæc. V in Armenia quoque tempore non interrupto colebatur, existimabatur atque notissimus ibique erat. Nonnulli electissimi restauratorum litteraturæ armenatis sæc. V: sanctorum Isaaci Patriarchæ Armeniæ et Mesropii, eiusdem zelantissimi peritissimique coadiutoris: immortalium et benemeritorum virorum ratione operum apostolicorum et scientificorum, ab iis Edessam antiquam Abgarorum urbem, missi fuerunt, ubi Thadæus Jesu Christi doctrinam annuntiavit regi magno Abgaro qui, ut antiquæ ferunt traditiones in fideli historia ecclesiastica Eusebii Cæsareensis et a Moyse Chorenensi, scriptore armenati sæc. V, relatæ atque ex archivis Edessæ extractæ, gratiam conversandi litteris assecutus est cum Jesu Christo, a quo eius admirabilem obtinuit et adorabilem effigiem, ut ea in afflictionibus consolatione leniretur suis et infirmitatibus, ac ut divina confortaretur promissione se gratiam consecuturum esse sanationis ab eo, qui ab ipso Jeru Christo post huius ressurectionem mittendus esset. Quam obtinuit una cum altera adhuc pretiosiori incomparabiliorique; tunc scilicet cum una cum populo suo integro ad fidem veram, quæ sola ad vitam conducit, conversus esset.

Illa in celebri urbe capitali Osroënis, quæ ad instar Alexandriæ in Ægypto et Antiochiæ in primitivis christianismi

sæculis celebratam suam habebat scholam scientiarum sacrarum, supradicti missionarii Patriarchæ Armeniæ diu passum tenebant intenti, ut magistri sui ad exemplum indefessis laboribus ac activitate admirabili litteraturam patriam mediantibus traductionibus operum sanctorum patrum celebris huius ecclesiæ locupletarent.

Opera S. Ephræmi attentionem eorum pietatemque effugere haud potuerunt; hinc diversa eorum fideliter genuinam in linguam armenam traducta fuerunt, plurima autem, quæ ad nos usque pervenerunt, typis Congregationis nostræ ab anno 1836, in quarto magnis tomis in lucem edita, alia tandem postea detecta inedita adhuc remanent.

Operum S. Ephræmi textus originalis multiplices habuit et sedulas editiones in Occidente opere distinctorum eruditissimorumque Orientalistarum, quos inter doctissimus excellit et eximius Maronita I. S. Assemani, bibliothecarius s. Ecclesiæ, qui eorum textum in lingua græca et syriaca typis Vaticanis (1732–46) in magnis voluminibus in folio doctissimis adiunctis animadversionibus divulgavit. Cuius vestigiis alii docti et insignes Orientalistæ sapientis Europæ inhærebant: G. Bernstein, P. Zingerle, D.r Lengerke, John-Blande Morris, Mösinger aliique. Qui studiorum orientalium cultores doctissimi procul dubio felici in circumstantia fuissent, si hanc remotissimam traductionem armenam cognovissent, atque ex ea utilitatem possibile eis fuisset carpere; quod autem contingere iis non potuit utpote excepto solo Mösinger ignaris idiomatis armeni. Valor enim eius et utilitas eo magis crescit, quo pretiosiora contineat nostra traductio opera et scripta huius Sancti Patris Syri, tam originalia, quæ evanuerunt, quam fidelissimam antiquissimamque traductionem in thesauro patristico litteraturæ nostræ conservatam. Quamobrem magnum erat desiderium traducendi ea aliquam in linguam occidentalem, sæpeque plures tentamina ad eam exsequendam experiebantur.

Cui desiderio legitimo satisfacere aventes iam ab anno 1876 traductionem latinam unius ex his operibus deperditis publicavimus, quæ magno cum plausu a mundo scientifico recepta fuit; erat autem « Evangelii concordantis expositio, » opus deperditum Tatiani a Sancto nostro commentariis exornatum.

Nunc occasione faustissima Jubilæi episcopalis amatissimi et admirabilissimi PONTIFICIS LEONIS XIII, *veneratissimi Patris Ducisque Orbis Catholici « Commentarios in epistolas S. Pauli », opus pariter in suo originali deperditum huiusdem eximii doctoris Ecclesiæ publicamus, deponentes illud humiliter ad eius pedes ss. qua tributum tenue nostri amoris, venerationis, admirationis rogantes, ut supra Congregationem nostram et supra nationem integram armenam tam charam Suo cordi paterno amantique, benedictionem Suam desideratissimam effundere dignetur.*

Manuscriptum, quo hac in traductione nostra utebamur confectum est a. 448 eræ armenæ, qui annus anño 999 D. N. I. Chr. correspondet; amanuensis autem putatur sanctus Simeon Armenus, qui a. 1010 s. civitatem Hierosolymitanam visitabat atque in Occidentem profectus, in urbe S. Benedicti prope Mantuam sanctissime a. 1012 e vita migravit; ipse unus ex protectoribus huius urbis venerationi est omnibus. Quo in loco commemorationem adducimus scriptoris sancti traductam ex lingua armena.

« Gloria Sanctissimæ Trinitati, quæ pervenire fecit scriptorem ad ultimam scripturam; amen. In nomine Dei conscriptus est hic codex in era CCCCXLVIII (A. D. 999) sub patriarchatu Domini Sergii, Armeni Catholici, et sub regno Sennecherim filii Abusahli, per manum Simeonis doctoris et humilis religiosi.... Quum anxie perquirerem libros Domini Ephræmi, explanationem videlicet tum Veteris tum

Novi Testamenti, profectus sum in regionem, ubi S. Apostolus Bartolomæus martyrio coronatus est, loco Episcopatus (vel Cathedræ) domus Arzeruniorum, Eleni nuncupato, atque inveniens Commentarium Beati Apostoli a Domino Ephræmo Churi Syro elaboratum, exscripsi ex vero antiquoque exemplari et portavi mecum.... Scriptus itaque fuit hic liber Domini Ephræmi, ut iam dixi, in Albag, provincia domus Arzeruniorum ».

IN EPISTOLAS
DIVI PAULI COMMENTARIUS
A LECTORE ABBATE SYRO
SYRORUM LUMINE EXARATUS



OVUM testamentum Græcis concessum cognoscimus, sive donum, sive.... [1] Quamquam vero elegantibus verbis hi, pro sua abundantia sapientique ac diviti ipsorum sermonis doctrina, Apostolum interpretati sunt, tamen nos quoque breviter hunc explicare inopi Syrorum sermone voluimus.

Equidem plurimas notiones verba D. Pauli continent, at propterea id nihil nobis periculi fore putamus, quum ne nobis quidem occurrit, notiones illas omnes aperire, non enim populo, sed peritis doctisque interpretamur.

1. Textus armenus fert sensum obscurum.

In vi tantum verborum insistimus, non in multiformi sono ; veritatem ab iis explanatam, prolixitudine sermonis omissa, scribimus. At Græci ne afficiantur mœrore Syrorum causa, quum hos videant novum Testamentum interpretantes, quemadmodum Syros non piguit, quum Græci vetus Testamentum interpretati sunt.

AD ROMANOS

Paulus primum adventum Domini nostri docuit, tum adventus causam. Enumerat enim gravia eorum scelera ante Christi adventum, ut aperiat ac ostendat propter ea hunc adventum factum esse. Gentes quoque naturæ peccato subjecit, etenim propterea quod, ait, alios judicatis, ostendite vos bene scire ea, quæ videntur vobis mala, ne aliis quidem vobis facienda esse. Peccato legis et populum subjecit, cum enim dicat : *qui dicis non mœchandum, mœcharis,* ostendit Iudœos scire quidem sed facere nolle. Hisce verbis veritatem approbavit libertatemque ream dixit et necessitas medici gratuiti cum populo, tum gentilibus patuit. Hoc baptisma fuit, quod omnibus hominibus gratia sua vitam dedit. Quod autem utrique gloriantur, id minime ex suis operibus, quippe qui rei mortis erant, sed ex fide in Eo procedit, qui morte sua debitum solvit. Post hæc de fide quæ Abraham justificavit ante circumcisionem, pergensque de lege Adami, per quem mors in mundo regnavit, locutus est. Peccatorum quæ in corde viguerunt reminiscitur, ad quæ destruenda lex Moysis impar erat. His aliisque de causis in hac epistola allatis, Paulus ita ad Romanos scribit.

I.

Paulus, ait, *vocatus*, idest vocatus in via Damasci a Jesu Christo revelante, qui misit eum ut portaret Evangelium suum. Non dicit tum vocatus fui, cum electus fui, at jam electus ut socii mei, priusquam formaretur mundus, ad prædicandum Evangelium Dei. Tum illud, tum hoc, Romani, unum est Evangelium, unus annuntiator, quem principio sacri prophetarum libri confirmaverunt, Filium annuens qui novissime inter eos carne indutus a stirpe Davidica procedente apparuit; idem Filius Dei demonstratus. Quo modo demonstratus? Virtute spiritusque sanctitate, idest suis virtutibus donisque, quæ in suos discipulos cum Spiritu Sancto proveniunt. *Ille,* dixit, *qui resurrexit a mortuis.* Nemo eum ad vitam revocavit. Mortuus et vivus erat. Putatus mortuus in corpore, quod assumpsit; vivus autem divinitatis causa. Ideo dixit: *Definitus est Filius Dei;* non dixit: ad vitam revocatus est, ne suis verbis contradiceret; sed seipsum a mortuis revocavit, ut idem esset, qui oraculum suum exsequeretur confirmaretque.

Per quem accepimus gratiam. Baptismatis lavacro apostolatum quoque accepimus cum donis Spiritus Sancti, ut in nomine ipsius non opera impia ac impura vitamque illam detestabilem annuntiaremus, de qua mentionem fecimus. Vosque, Romani, ex illis eratis qui vocati sunt, gratia, quæ ad vos nos misit, non orbabimini.

Omnibus, qui sunt Romæ, vocatis sanctis, idest catechumenis et baptismo ablutis. Sancti erant baptizati propter expiationem baptismo datam, abluti, ait, et sancti facti. *Pax vobis et gratia a Deo patre nostro*, qui vos vocavit et ad adoptionem suam admovit, *et Domino Nostro Jesu Christo;* non dixit per Dominum nostrum Jesum Christum:

Gratias ago Deo per Jesum Christum. — Antea dixit a *Domino,* ut ostenderet divinitatem; nunc vero dicit per Dominum, ut ostendat etiam humanitatem. *Vestra fides,* magna ut urbs vestra, *annuntiatur in toto mundo.*

Testis enim mihi est Deus cui servio in spiritu meo, vita idest spirituali, non secundum sacrificiorum leges; *Evangelio Filii eius,* non secundum libros Moysis. *Indesinenter memoriam vestri faciam in precibus meis,* orans ut non post longum tempus sed brevi concedatur mihi videre vos, ut impertiam vobis aliquid gratiæ spiritualis, ut sociis vestris Galatis et Corinthiis impertii, ad confirmandum vos, ut constantes sitis tempore persecutionis et simul consolari invicem in vobis et una in communi fide orare. *Nolo autem vos ignorare, fratres, quod sæpe desideraverim venire ad vos,* in vobis quoque fructus inveni, quos majestati Divinitatis, cujus discipulus sum, offeram, sicut et in aliis Gentibus inveni, in sapientibus et stultis, idest, in illis qui consentiunt obedire nobis et in aliis qui renuunt. Obediant vero an non, meum est prædicare. Et promptus sum, dociles Romani, Evangelium vobis nuntiare. Quum esset longe ab iis, dixit, promptum se esse, sive, quia urbs illa idolorum cultrix erat, sive quia omnibus animum eo veniendi defuerat.

Non enim erubesco Evangelium meum, certe propter crucem ibi prædicatam; hæc enim vis est divina quæ facit, ut Gentiles rebelles in obsequium redigantur, et Hebræi ac Gentiles, qui credunt in eo, salutem certam habeant. *Justitia Dei,* scilicet vita antiquorum in eo *revelatur ex fide in fidem,* ex fide Abraham in fidem filiorum Abraham, quod ita esse, ut dixi, ostendunt Scripturæ dicentes. « Justus ex fide vivet. »

Revelabitur ira Dei de cœlo, in ultionem legis naturæ super illos qui detinent in injustitia, qui quamquam ve-

ritatem cognoscunt, adorant tamen impietatem. Scientia Dei nota ipsis est, Deus enim per creaturas seipsum manifestavit. *Quod est invisibile a principio mundi*, hoc dicit sive propter naturam creaturarum, quæ a Moyse descripta est, sive propter Filium qui latebat et nunc manifestavit seipsum, cuius veritates nunc per miracula, ut in principio per res creatas apertæ sunt. Inexcusabiles erunt qui ab eo recedunt.

Cognoverunt Deum ex creaturis, at non Deum glorificaverunt creatorem totius naturæ, aut *gratias egerunt et evanuerunt in cogitationibus suis* a veritate gloriæ eius. Quoniam non glorificaverunt eum in omnibus mirabilibus eius, quem propter mirabilia eius glorificare debebant, obscurati sunt insipientia cordis sui et lumine scientiæ suæ. Propterea stulti facti, se ipsos *sapientes putaverunt, et stulti facti sunt* a Deo aberrantes, glorificantes imagines hominis, avium, reptilium et quadrupedum.

Quoniam ipsi a Deo aberrarunt, qui sanctitatem honestatemque amat, et imagines ad agendum contra illas inducentes dilexerunt, *Deus tradidit illos*, non in divitias quas oderant, sed traditi sunt in immunditiam, in desideria cordis eorum, contumeliis *affecerunt* corpora sua in semetipsis *commutantes veritatem Dei in mendacium et creaturæ cultum prætulerunt potius quam Creatoris.*

Similiter fœminæ eorum legem naturæ suæ mutaverunt, obedierunt et adoraverunt. Audis fœminas quoque eorum mutavisse leges suas in leges iniquas, nec ad hoc adductæ alicujus tyrannide sunt. Similiter masculi reliquerunt ipsi quoque usum naturalem fœminæ, ipsi quoque neglexerunt, at ne ipsi quidem a nullo coacti ; ad hoc adducti non sua tantum concupiscentia, sed etiam avaritia. Quinimmo in se ipsis seditionis suæ in uxores vicem receperunt. No-

luerunt in se cognoscere Deum, quamvis possint, et Deus eos tradidit, idest, non in manus tyrannorum vel peccato, sed menti eorum, quæ libera ab hac perutili persuasione discessit. *Tradidit eos in reprobum sensum, ut facerent ea quæ non conveniunt,* quæ jam agebant.

Repletos sua voluntate, omni injustitia, et aliis malis quæ enumeravit. Qui justificationem Dei cognoscunt, talia agentes traditi sunt alteri morti, et non tantum qui talia agunt, digni morte sunt, sed et illi qui consentiunt operibus, quosque Apostolus descripsit, *superbos et inflatos, inventores malorum,* quæ in sociis videbant.

Propter judices eorum forsan hoc dixit de illis, qui donis corrupti, non tantum non obstiterant peccatis, sed etiam cooperatores erant et laudabant eos, qui opera mala patrabant.

II.

Propter quod inexcusabilis es, homo, si dicis hæc te nescire; in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas; cum comite tuo te ipsum condemnas. Quoniam eadem facis, credisne tu qui judicas eos, qui talia agunt, quod effugies judicium?

Qui scis et gloriaris; et haec gloriatio tibi adjumento esse potest, si omnia quæ scripta sunt in lege, omnia adimpleas; at si peccaveris in legem, *tua circumcisio putabitur incircumcisio.*

Judæus enim ille non est qui in manifesto, nec circumcisio ea quæ in manifesto in carne, sed circumcisio cordis est in spiritu, non littera; idest secundum legem naturæ, non juxta circumcisionem librorum Moysis. At lætitia ejus non ante oculos hominum est, sed ante visionem divinam quæ scrutatur corda. Quæ enim utilitas, si corpus tuum

divino signo circumcidatur et cogitationes tuæ similes sunt illis, qui signo fidei haud signati sunt? *Gloriatio igitur circumcisionis impedita et mendacii convicta est,* fidei vero gloriatio inter cætera excellit.

III.

Quid ergo habet amplius Judæus, aut quæ utilitas in circumcisione? Si Deus cordis circumcisionem poscit, multimode hoc confirmatum est, idest declarata *fuerunt eloquia Dei*, et utilia per circumcisionem. Dixit enim ita, *circumcidemini.* Abraham vero et Sara adhuc steriles erant. In antecessum circumcisionem constituit, fidem Abraham exaltavit inter gentes, quæ fidem non noverant, ut si ab illo peterent: *cur hoc fecisti,* illis reponeret: signum hoc est, quo signatur fides stirpis meæ et filii, qui nascentur ex me innumeri velut stellæ cœli et arena, quæ est in littore maris, hoc ita circumcidentur. Si qui vero inter gentiles qui audierunt, non crediderunt, multi autem crediderunt et circumcisi fuerunt. Utilitatem præterea circumcisionis ostendit in eo, quod illa innocentiam signaret, ac si quis ad ostendendam familiaritatem signum ab aliquo religaret.

Est, ait, *Deus verax* in justitia, idest justus est in veritate, et sine lege ne gentes quidem ipsas relinquebat, *omnis autem homo mendax*, dicit, juxta leges Moysi, nemini enim erat vis ademplendi illas.

Si autem leges latæ non sunt, quomodo confirmatur quod dicit, *ut justificeris in sermonibus tuis et vincas cum judicaris,* idest quum tecum quæruntur? Adam damnatus est quum legem violavit, filii quoque ejus sciant, absque violatione ipsos non damnatum iri; sicut per Nathan David judicavit et vicit, scripserat enim: *non mœchaberis, non occides.* Ita Deus insons est in judicio suo, in quo con-

stituit pœnas in eos, qui violant leges cordis a Deo juste latas. Impudentes et obstinati mala faciebant dicentes: malitia nostra divinam justitiam facit, nostraque mendacia ipsius veritatem; si autem in mendacio meo veritas ejus abundat, cur damnandus sum ac si essem noxius illi, hæc dicens? Quoniam, quamvis dixerit, *vincas quum judicaris,* non ad nostram damnationem, sed ad victoriam justitiæ descripsit leges in cordibus nostris; quum, enim res ita se habeat, malitia nostra justitiam ejus firmat.

At venite et ut homines examinemus: si res ita est, quomodo ergo Deus mundum judicat? Oportet, dicit, leges esse, quamvis latæ sint in condemnationem eorum qui eas acceperunt. At Deus non ita leges tulit, et fidem facit domus Moysis et alii qui propter illas justificati fuerunt. At hæc similia sunt illis verbis, quum dicit: *et non sicut blasphemamur* dicentes: *faciamus mala ut veniant bona.* Solebant enim dicere: *ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Cœperunt dicere contra: *Abundemus in peccatis,* et multiplex in nos charitas ejus erit. Merito igitur talia dicentes puniuntur; gratiam enim irriserunt.

Quid prodest nobis si præcellimus? Idest, quid prodest nobis si ita vobis videtur? An sumus nos, qui damnamus Judæos et gentes, quum dicimus, quod scriptum est: *quia non est justus quisquam, nec quærens quidem Deum.* At ille permiscuit omnia, et gentes simul cum Judæis posuit, ut utrosque sub peccato constitueret. Et hæc afferens dicit: *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose egerunt,* et quæ sequuntur. Ut legibus responderet, totum enim certamen de iis erat, scimus, dicit, quod, quæcumque lex dicit, filiis legis dicit, iisque, qui tantum gloriantur, dicit: *os eorum obstrucatur.* Quomodo? illis verbis: *non est justus quisquam, ne ille quidem qui eleemosynam facit,* aliisque; prophetæ enim, quæ agebant, memoriæ prodiderunt.

Vim eorum ergo sumpsit, cum uno verbo repetit dicens: *omne os obstrucatur*, ex illis enim operibus legis fieri non potest, ut os filiorum legis aperiatur. Igitur utrorumque gloria non in legibus coarguentibus, sed in charitate expiationis adest, e lege enim scientia peccatorum profluit, idest, justitia in illis omnium malorum a nobis patratorum erat temperamentum.

Sine lege ergo manifestata est justitia Dei; et omnes pœnitentes, qui auxilio egebant salvi esse possunt per misericordiam ipsius, quod est acutum gladium quod culpam sequitur. At nunc dicit: *Sine lege manifesta est justitia Dei,* non ab illo enim, sed ab evangelio fidem et mansuetudinem discimus. Ipsa quoque lex fidem facit de nostra justitia, et hoc signi fiat aut novum testamentum jam in vetere demonstratum esse, aut leges attestantur pro adventu Christi, aut ipsam legem docere mansuetudinem et fidem; ut exempli gratia quum dicit: *Quod tibi malum videtur ne aliis feceris.*

Nulla enim distinctio inter hunc et illum erat, utrum peccaverit, an non, *nam omnes peccaverunt, eaque gloria carent*, quam Deus iis per justitiam largiturus erat, et *justificati sunt gratis in gratia ipsius*, eo magis quod ab initio sæculorum peccatoribus hanc Deus donavit.

Quoad donatio gratiæ non fieret, radios suos per multa sæcula lex diffundebat, in singulis quorum ex manibus justitiæ peccatores liberati sunt.

Quo tempore vitulum fecerunt, quis eos liberavit? Lex jam capitis damnabat facientes idola. Si ergo leges anathema dicunt jubentque peccatores occidi, qui quotidie omnia hæc mala patrabatis, quomodo salvi facti estis? Si ergo confirmatum fuit tunc quoque vos salvos factos per gratiam et fidem, cur vestris oculis cæteri videntur diversi novique,

quum vos sine his ne puncto quidem temporis coram legibus stare poteratis? Peccatis, dicit, quæ prius fuerant, manifestatione hujus justitiæ tunc parcebat, et nunc per baptismum justificat illum, qui est in fide Domini nostri Jesu Christi. *Ubi igitur gloriatio? Exclusa est*: idest, ad quos pertinet gloriatio? Ad eos qui opera legis faciebant? Minime, sed ad illos qui alteram fidei legem inveniebant. *Concludimus* ergo nos cognovisse ex fide, non ex operibus hominem justificari.

Num Judæorum Deus tantum? Num dimidia hominum pars est cara Deo, altera odiosa. *Non ita*, in pari enim charitate divisio carorum et odiosorum consistere nequit.

Si igitur, dicit, *circumcisio prodesse non potuit sibi ipsi et per gratiam gratis datam vivit*, præputium etiam manet. Quoniam Deus cognovit minui charitatem expiatricem in legibus severis ac duris, noluit dum ille ad eos descendebat per gratiam, hominem gratia carere et Deum durum causa legis appellari. Severitas Dei legem prædicabat, in omnibus autem se gerebat per gratiam. Ideo leges contemptas a se repellit amovitque, ut omnibus vera ipsius suavitas esset jucunda.

Legem ergo destruimus? Absit. Non dicimus eam carere virtute, sed quum ejus vis vehementior sit, infirmitatem nostram eam pati non potuisse.

IV.

Quid ergo dicemus Abraham patrem nostrum invenisse secundum carnem, idest, quoniam filii pervicaces ex progenie sua orti sunt? *Nam si Abraham ex operibus justificatus est*, habet in quo glorietur ex operibus, quæ eum justificabant, *sed non apud Deum*, quem ejus miseritum est. Ideo, ait Scriptura, non Abraham operatum esse et *hoc reputatum*

esse illi ad justitiam, sed tantum eum credidisse illi qui impios justificat et hoc reputatum esse illi ad justitiam. Si ergo justificari vultis, cur circumcisione egetis? Ante enim circumcisionem fides Abraham justificavit, nam *ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum meritum,* dum merces Abraham imputata est secundum gratiam. At si, dicit, vos gloriamini in operibus vestris nos ad Abraham currimus, qui, ut nos, infirmus erat et per fidem justificatus est. Si populus et gentes legibus suis fideles fuerunt, secundum meritum est etiam merces. At si omnes peccaverunt, ideoque impotentes ad resarciendum, in posterum per gratiam justificantur, idest, quum, ut Abraham, credunt in eo, qui peccatores justificat; idque ut ostenderet, veniam gratiæ cupere illos, qui miseri facti in legem intuentur.

Pergit: *David dicit: Beatus ille cui Deus justitiam suam imputavit,* ut ostendat Deum sine operibus illum justificare. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.* Veni, ait, videamus a quonam sit haec beatitudo? In præputio? at hi crediderunt et tecta sunt peccata eorum per baptisma. An in circumcisione? Hi vero quotidie denudant eam et sacrificiorum leges dehonestant illam, idest, aperiendo peccata, quæ tempore sacrificiorum admittebantur.

Iterum sermo ejus insistit in præputio Abraham. At ergo, inquit, *Quomodo fides imputatur Abraham ad justitiam? Dum in circumcisione erat an in præputio?* Vide dicit, quanta sit fidei virtus! Non scriptum est Abraham justificatum esse, quum passus est circumcisionem, sed quum credidit; at ne sperneret eam, neve putaret inutiliter datam, quasi coronam illam constituit quæ victoriam perficit; corona non est victoria, sed victoriam affirmat. Circumcisionem constituit quasi signum ut damnaret justitiam, quæ erat in præputio, idest justitiam quam per præputium assecutus

est, ut sit pater omnium credentium per præputium, ut tum sibi tum illis imputetur fides ad justitiam et vocabitur pater circumcisionis iis, qui sectantur vias fidei in præputio Abraham.

Non enim per legem, quæ quadringentis post annis data est, promittebatur Abraham futurum mundi hæredem, sed per justitiam fidei. Quod si a lege esset hæreditas, vana erat fides, vana promissio, obedientia enim legis fieri non poterat. Ideo prævenit amico promittens extra legem, de peccatis vero, quæ contra justitiam erant, promissio contracta est, tantum eam in benedictionibus circumscripsit, idque legis causa, quæ omnia maledictionibus prohibere poterant.

Lex enim iram operatur. Fideles et infideles circumcidendi erant, ne quis moreretur. Quoniam fides a voluntate hominis non a tyranno pendet, ideo omnia tyrannidis opera in nomine legis, libertatisque opera in nomine fidei acta sunt; et quoniam mundus offensus est in fide Abraham, quod effectum fuit liberæ voluntatis, dum lex erat tyrannis formidabilis, legis tempus pueritiæ comparavit et alterum juventuti, non quia haec tempora nos regant, sed quia ipsa quoque tempora ex nostris operibus nomen accipiunt, ut homines ex fructibus operum suorum.

Sicut autem lex tempore defectionis profuit, ita nunc noxia est; venit enim fides quæ Abraham justificavit ante legem. Ideo, dicit, non ex operibus, sed ex fide, ut firma sit gratia in omnibus generationibus, non tantum in illis qui ex lege sunt, idest non Judæis tantum, sed etiam gentibus quæ sunt ex fide patris nostri Abraham. *Qui sicut scriptum est, pater est multarum gentium, omnium credentium ut tu in Deum, qui mortuos vivificat et vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt*; et sicut Isaac vocavit ex eo quod non erat, sic ab altari illum eripiebat. Si de circumcisione tantum

sermo esset, poterat ea fieri ab audientibus, sed quum loqueretur de conjugio sine progenie, quæ crescet et multiplicabitur sicut arenæ et stellæ, judicate utrum mirum est, supplicium publicum unius momenti, an patientia in futuro.

Credidit, dicit, *Deo qui vivificat mortuos et vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt.* Idest ex mortuo corpore Abraham, ex sterili utero Saræ vivificavit produxitque illos, qui eo tempore non erant. Quoniam vero, per promissionem ipsis datam, concessi sunt, Deus fidem patris ipsorum laudavit, qui credidit in generationibus suis, ut qui nasceretur ab ipso, similis esset fidei patris sui et eamdem fidem haberet, quam ipsi habuerunt ante ipsum natum. Hæc est virtus verborum quæ dicit: *contra spem in spem credidit*, et addidit, *nec consideravit corpus suum mortuum et mortuam vulvam Saræ* et reliqua. *Et non tantum,* ait, *propter ipsum est scriptum, quia reputatum est illi ad justitiam,* sed etiam propter vos, quia tum illi tum vobis ad justitiam reputabitur. Vos enim credidistis in eum, *qui suscitavit Dominum nostrum Jesum Christum, qui traditus est propter peccata nostra et resurrexit propter justificationem nostram.*

V.

Justificati ergo ex fide, fide baptismi, *pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum,* per ipsum enim *habuimus accessum ad gratiam hujus evangelii, in quo stamus et gloriamur in spe gloriæ suæ,* scilicet in virtute miraculorum ejus. Sed etiam *in tribulationibus*, propter eum toleratis, gloriamur *scientes quod tribulatio patientiam operatur* in nobis, et tentationes perferimus, exspectamus enim spem, quæ nunquam nos confundit. *Quia charitas Dei diffusa*

est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, idest, per Spiritum Sanctum quem nos recipimus.

Dum enim adhuc sine virtute essemus, extremo hoc tempore, *pro impiis* qui legem implere non valuerunt, *Christus mortuus est, vix enim pro justo aliquis moritur.* Quæ gratia referri potest et a quonam illi, qui pro justo moriatur?

Pro justis et martyribus forsan aliquis mori auderet, sperans fore ut in consummatione temporum a Christo mercedem accipiat.

Per id magis, quam per omnem rem, ostendit ille *charitatem suam, in nobis;* per mortem, videlicet, qua mortuus est propter iniquitates nostras. Si enim propter impietatem nostram mortuus est, *quanto magis ille justificabit nos in sanguine suo, et salvabit nos ab ira illa,* quæ ventura est in fine consummationis *mundi.*

Si enim quum inimici essemus propter opera nostra *reconciliatus est* nobiscum *Deus per mortem Filii sui,* quanto magis in ipsa reconciliatione salvabit nos *per vitam ipsius*?

Et gloriatio quoque nostra sit *in Deo per Dominum nostrum Jesum*, qui mortuus est pro nobis, et reconciliavit nos cum mittente se.

Atque fecit præterea omnes homines unum corpus, et locutus est ille per unam faciem Adæ peccatoris, cœpitque monstrare se Adam ad Adam. Quemadmodum primus ille seminavit immunditiæ peccatum in corpora munda, et sepultum est fermentum malitiæ in universam massam nostram; sic Dominus noster seminavit justitiam in corpus peccati, et fermentum ejus massam nostram commutavit, *sicut per Adam peccatum intravit, et per peccatum mors,* sic et super omnes hæc eadem mors propagata est, omnes enim tunc *majores* tunc *minores* peccando peccaverunt.

Siquidem *usque ad legem* Moysis, per quam multipli-

cata sunt mandata, *peccatum* quodammodo *non imputabatur*. Fortassis ob adamicam legem ea dixit, quæ deinde scribit quod antea *lex non erat.*

Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, et cætera. Non liquet autem quousque *regnaverit*? utrum donec legem protulerit, an quoadusque receperit ille gloriam in faciem suam ([1]); an usque dum dictum esset ei : Ego sum Deus Abraham, Isaac, et Jacob ; an quoadusque Josue vocaretur Jesus ; an usque ad ultimum prophetarum, qui est Johannes: *regnavit,* inquit, *mors etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.*

Idest, etiam in illos, qui minime sunt trangressi *præceptum* manducantes ex arbore scientiæ : ipse namque *est forma futuri* temporis : ut doceat, quod sicut, transgrediente Adam mandatum, mors regnavit in omnes ; regnavit, inquit, etiam resurrectionis vita per Dominum nostrum in omnes.

Sed non sicut delictum fuit, ita et donum gratiæ. Hoc est, non juxta damnum deféctionis Adæ, sic et emolumentum factum per Dominum nostrum. Si enim ob delictum unius hominis creati locus fuit regnandæ mortis ; itaque illi, in quos abundarunt gratia baptismi, et justitia quæ ex cordis lege est, tanto magis recipient ipsi præparatam vitam pro vita caduca, et *regnabunt* iterum *per unum* istum ; qui non est idem Adam, sed *Dominus noster Jesus,* qui Adæ creator est.

Nam judicium quidem factum est nobis per unum *in condemnationem* ; idest, per unum fuit nobis in condemnationem. Gratia autem, et donum baptismi, quæ diffusa sunt propter multa peccata, *in justificationem* nos ducunt,

1. Quum scilicet descendit de monte Sinai, apparuitque *facies ejus cornuta ex consortio sermonis Domini. Exod.* 34. 29.

et justificando justificant nos per expiationem nobis gratis datam.

Sicut enim per inobedientiam unius hominis, et ejus causa peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem, qui fuit iisdem bonorum exemplum, *justi constituentur multi.*

Lex autem subintravit. Ut ostendat eam pro interstitio fuisse, quia inter duas res intrans perstetit, *ut abundaret delictum*: quod dixit de multiplici lege adjuncta. *Ubi enim abundavit delictum*, ibidem *superabundavit gratia*; idest, in Gentibus, in quibus abundavit peccatum, in illis superabundavit Creatoris gratia.

Ut sicut regnavit peccatum in mortem; idest, in delictum induxit, et occidit; *ita et gratia regnet per justitiam*, quæ nos vivificat, et justificat.

VI.

Quid ergo dicemus? permanebimus frequentius *in* eodem *peccato,* sicut irrident nobis inimici, *ut gratia abundet?*

Absit. Qui enim mortui sumus peccato per expiationem baptismi, quomodo poterimus *in illo adhuc vivere?*

An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Et mortui nos sumus vita nostra mundo, sicut ille qui exutus corpore suo, mortuus est vitæ temporali.

Quoniam itaque nos passi sumus *cum illo per baptismum, quomodo ipse surrexit a mortuis per gloriam Patris sui, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* post vivificationem, quæ ab ipso baptismo est.

Si enim complantati facti sumus ipsi, non manifesta morte, sed baptismate; quia hoc ipsum est *similitudo mortis ejus:* similiter et *resurrectione ejus* vivemus, quando flore-

bimus ceu palmites secus decursus aquarum interius ex ipso baptismate, quoniam per illud complantati facti sumus ei.

Hoc scitote, quia vetus homo noster simul crucifixus est cum illo, ut non incedamus iterum secundum anteriores conversationes.

Sicut *enim qui mortuus est, justificatus est a peccato,* ita et nos, qui *mortui sumus cum Christo* in baptismo, *credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo,* hic, et illic: hic conversatione nostra, et illic per optimam conversationis nostræ retributionem.

Nam quemadmodum *Christus resurrexit ex mortuis, nec amplius moritur:* quoniam mortem retributioni impietatis nostræ debitam obiit ille, et qui revixit, vivit in æternum; item et vos, qui peccato mortui estis: *non* ultra *regnet peccatum in vestro mortali corpore, sed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes.*

Si enim *membra vestra fuerint arma justitiæ Deo*, liquet, quod *peccatum* deinceps *vobis non dominabitur*; *non enim sub lege estis*, idest, sub pœna legis.

Haud porro nos decet, quandoquidem ablatus est a nobis legis timor, et *sub gratia* nos sumus, iterum peccare, ac delinquere. Sicut possumus justificari, ita facile est nobis peccare: *quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis; sive peccati* ad mortem, *sive obeditionis ad justitiam.*

Et si fuistis servi peccati, nunc obedistis ad serviendum per opera vestra: quoniam *forma doctrinæ* data est vobis.

Quia ergo *liberati vos estis a peccato*, et intrastis sub justitiæ servitute, cavete, *dico propter infirmitatem carnis vestræ*, ne forte insurgant in vos, vosque vincant. *Sicut ergo exhibuistis carnem vestram,* tamquam arma *servire immunditiæ*, idest fucatis ornamentis, gulæ, et libidini, *ita*

nunc exhibete carnem vestram jejuniis, orationibus, et abjectioni, ut fiatis *servi justitiæ* et sanctificationis.

Cum servi essetis peccati, vacui eratis operibus *justitiæ* : quoniam non sustinuistis ambobus obtemperare ; soli enim peccato sejunctim obedistis.

Qui ergo tunc erat operum vestrorum *fructus*, nisi *in illis de quibus hodie erubescitis ? Nam hic* ceu mercedem vobis attulerunt pudorem, et *finis illorum* iterum colligitur *mors* secunda.

Nunc vero, quia liberati estis a peccato, et per gratiam facti estis *servi* justitiæ, fructum afferte ei, cujus *finis* est *vita æterna.*

Stipendia enim peccati mors est, dona autem quæ per Dominum nostrum data sunt nobis, ad vitam æternam sunt futura.

VII.

Nam sicut quæ sub viro est mulier, alligata est legi viri sui, donec vixerit vir : *si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri,* ut sit quocum velit : item *et vos mortificati estis legi per corpus* Domini nostri, quod accepistis ; et æquum ac justum est, ut sitis ejus, qui descendit inter mortuos propter vos, et ascendit, ut in hora adventus sui vos offerat Deo fructum sanctum.

Cum enim essemus in carne, idest, dum sub lege eramus : *dolores* cupiditatis, *qui per legem erant*, videlicet : *Non mœchaberis, non furaberis,* et cætera, prævaluerunt, ut nos redderent fructum mortis. Ideo autem se quoque includit Apostolus sub his, ne videretur ipse quodammodo non eguisse hujus remissionis per Dominum nostrum elargitæ, neque ulli locum dare gloriationis.

Nunc autem quia soluti sumus a lege illa ; idest, quia

supervacua nobis fuit lex, et mortui sumus ei, cui exhibiti eramus in servitutem, obedientes videlicet eramus sub ejus dominio, in servitute spiritus ambulemus, *et non in vetustate litteræ*; hoc est, in spirituali conversatione, et non in vetusta litteræ observatione. Novum Testamentum, quod spiritualis cælestisque operis plenum est, vivificum appellat; quia illud morti condemnatis prædicat vitam, iis nempe qui juxta vetus Testamentum morti traditi erant.

Quid ergo dicemus? Ait. *Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoscebam, nisi ipsa diceret; neque concupiscentiam sciebam* in paradiso, *nisi ipsa diceret: Non concupisces.*

Per hoc mandatum vivificum *occasionem accepit peccatum, et operatum est in me omnem concupiscentiam* suam. *Sine lege* enim Adæ data *peccatum mortuum erat* illi. Ille tamen vivebat, et gloria indutus erat ante legem. *Sed cum venisset mandatum, peccatum,* quod mortuum erat, *revixit.* Et Adam mortuus est vitæ gloriæ; et *mandatum, quod positum erat ad vitam, inventum est illi ad mortem.*

Itaque lex quidem Adæ *sancta* est, et benefica.

Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? idest, ut per illud moreretur Adam, impositum fuit illi? *Absit. Sed peccatum, ut appareat* in malitia sua, *per bonum* induxit *mortem* super me: hoc est, per vivificum mandatum occidit me: *ut fiat* manifesta *peccatum peccans* per *mandatum*; idest, ut in æternum sit damnatum peccatum, ex quo transgredi fecit Adam mandatum.

Quoniam egit Apostolus de peccato, quod ingressum est in mundum, et vi ejus lex resistere non potuit, videns auditores involutos multiplici verborum suorum nexu, resumpsit enarrationem suam ex multis illis involucris, eamque aperte brevique sermone exposuit. Per collectam carnem,

in qua colliguntur concupiscentiæ, collexit ille enarrationem suam, quæ de cunctis malis relata erat a Moyse, super carnem meam. Expendat, quæso, unusquisque vestrum homo, quot mala habitent in carne sua. Relicto ergo mundo, accessit ille ad unam carnem ceu ad symbolum mundi; quoniam ad unum quoddam facile est omni homini currere; ut illud, quod ex omnibus lateribus cernitur, per omnes partes aspectum extendat cernentibus se.

Si malum, ait, intus in nobis est, quid refert mihi, si circumcidor, et observo sabbatum? En porro hæc exteriora, quæ aguntur in carne, impedire ac detinere nequeunt animum ab illa concupiscentia interius conturbante et confundente. Vidit itaque Apostolus, quod natura delinquere facit, lex autem maledicit: natura intus urit, et lex gladium evaginatum fert exterius: atque congesta sunt peccata super peccata; et obstupuerunt, atque insanientes constiterunt peccatores; precisaque spe, cunctis malis seipsos dederunt. Quoniam viderunt, spem suam abscisam ab ipsa lege; ubicumque enim præhenderentur, in occisionem tradebantur; ideo naturam inter et legem obstupuerunt, et peccatum regnavit super eos; quemadmodum qui se immergunt ebrietate, quidquid vult ebrietas, id agunt: et quemadmodum homo quidam, cujus corpus fuerit in cæno sepultum atque egredi optaverit, utcumque in illo cæno volutetur secundum voluntatem suam, et non secundum voluntatem suam volutatur. Secundum quidem voluntatem suam, quia nemo alius eum volutat; et non secundum suam voluntatem, quia non intus desiderat ille, sic volutari.

Respice mulierem peccatricem, et Zachæum publicanum; quia non aliud adjectum fuit super eorum libertatem, sed per indulgentiam ejus, qui dimisit illis eorum

debitum, exaltatum fuit caput illorum, et confortati sunt, ac si virtutem quamdam, aut vim illis præstiterit; quoniam debitum illud, quod habebant in ipsam legem, non ultra eos obligavit.

Quod autem repetit Apostolus, *Non est justus ne unus quidem* secundum psalmi replicationem, hoc pacto veniens Dominus noster invenit Israel, qui similis sane factus erat mulieri peccatrici: volebat enim mulier illa pœnitentiam agere, et non poterat. Lacrymis porro mulieris super pedes Domini nostri effusis, convictus est Israel, per remissionem Domini nostri, per illam scilicet rem, per quam ab eo convicta est mulier.

Nam per baptismum remisit ille cunctis hominibus, sicut et mulieri peccatrici per verbum. Dilexerunt ergo Filium propter remissionem ejus, et excitata est libertas ab immersione sua; atque convicta est concupiscentia ab ejus egressu, et derelictio per confortationem ejus; convicta est et desperatio, per spem ejus.

Quod autem non auderet lex dimittere cuiquam peccatum, id vel ipsi legisperiti testantur. *Quis*, inquiunt, *potest dimittere peccatum, nisi solus Deus?* Si enim qui non sponte occidebant quempiam, in asyli civitatem confugiebant, et post modum salvabantur; qui sua sponte occidebant, quovis modo occidebantur.

Pœnitentiam, quam dedit Deus, omni populo dedit; ne, ait, aspernerem ego semen Abrahæ. Singulos malefactores illos post delicto perpetrato retributio operum suorum sequebatur. Si enim ob adulteros, fures, et transgressores legis jussum datum fuisset, ut non exigerentur; si hoc ita esset, ergo soluta fuisset lex. Itaque pœnitentia, quæ ipsis data fuit, non erat inter hominem et socium suum, sed inter generationem, et generationem, et inter captivitatem, et captivitatem.

Agedum, ait, contemplamini in mente vestra, et eligite, quis potius regnet super vos? lexne, quæ gladium præ manu gerebat, an Evangelium, quod plenum est misericordia, et miseratione? Vi justitiæ ejus resistere non potestis, et de Filii gratia non estis contenti? Quis per invidiam vos persecutus est, ut ab utroque recederetis? Hæc ergo omnia intuens, Apostolus, dicere incipiens: *Lex*, ait, *spiritualis est.* Superbire illos de hoc fecit, ut convertantur, eosque subjiciat exinde, quia legis debilia loquitur. Spiritualis est lex relate ad carnem nostram peccatis plenam; relate vero ad Evangelium lex terrenis promissionibus, durisque suppliciis plena, carnalis est. Itaque etsi lex spiritualis sit, attamen cum ejus spiritualitate carnalitas deliciarum, et voluptas erant participes, quemadmodum cum Incarnatione Domini nostri crucifixio operum connexa erat. Propterea indutus est Dominus noster carne nostra, nobisque indulsit, ut contra debiles delicias, et voluptatem, nobis daret vitam sanam acquirere.

Quoniam populo necesse erat obtemperare sub lege, frequentius promisit illi terrena; ut propter bona, quæ diligebat, submitteret se legi, quam non diligebat. Promissionem illi dedit, ut ejus gratia diligeret legem: quæ tamen per deliciarum suarum voluptatem retinebat illum a legis observatione. Quod si illi vetita ablataque fuissent terrena, jam per crucifixionem carnis suæ præservaretur ab iisdem peccatis, quæ per legis promissionem in eo prævalebant. Immo, ait, *venundatus sum sub peccato*: idest, reprehensus sum ego in ipsa peccati consuetudine.

Quod enim operor, illud nescio; nemo enim scit quando vivat, quum in ipso peccatum pullulat. *Non enim quod volo hoc ago*: idest, quod dicit: Corpus cupit, quæ non sunt juxta voluntatem, scilicet juxta animæ consilium. Porro

non quod volo, hoc ago, ut servus peccati; neque quod ago, hoc scio, sicut etiam neque servus. Sed quemadmodum animus servi cupit esse liber, ita interior noster homo libertatem cupit. Quia autem semel inventa libertate, potest servus iterum libertatem suam in servitutem vendere, ideo dicit: Liberavit te; noli intrare sub servitutis jugo. Per baptismum liberavit te ab illo peccato, quod perpetrasti, noli ad peccatum redire, et ingredi sub jugo peccati, a quo per baptismi expiationem liberatus es. *Quod odi*, inquit; idest, quod odit mens mea, illud prævalet in carne mea.

Si autem quod nolo, et odio prosequor, *illud facio, consentio legi*, quæ me illud prohibet, *quoniam bona est*.

Nunc autem jam non ego operor illud, sed peccatum, quod olim a remotis jam temporibus obtemperare me facit.

Scio enim quia non habitat in carne mea bonum aliquid. De carne sua dixit primum, ut ostendat gratiam esse necessariam malo implexui nostro, non autem certitudinis justitiam; atque, ut concludat se ipsum cum omnibus carne indutis *esse* sub remissione baptismi.

Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud; non enim consilium meum internum operatur illud, *sed peccatum*, quod habitare ego feci in carne mea.

Video igitur ego *legem* quamdam, *quæ vult* perficere in me *bonum* aliquod, quod molestum est voluntati meæ; hæc enim prona est ad operandum malum.

Condelector legi Dei, idest *interior* noster *homo*.

Video tamen præterea *aliam* quoque *legem* in carne mea; illa enim est ipsa mala consuetudo, quæ inveterata est in carne mea; adversantem, et *repugnantem legi*, in qua exultat mens mea; *captivantem me in lege peccati*, quod habitare ego feci in carne mea.

Quidam *infelix ego homo: quis ergo liberabit me de*

corpore isto, de his videlicet carnalibus operibus corporis.

Nisi gratia Domini nostri Jesu Christi, quæ facta est ad mulierem peccatricem, et ad omnes qui venerunt, et venturi sunt ad baptismum. Si ergo non recedit corpus, neque abscidit se ab omnibus terrenis rebus, quæ illius radices sunt, secundum ipsas res terrenas, dat et illud fructum suum. Oportet itaque hominem effugere hamum illum, et legem peccaminosam; quoniam his pinguescit homo, et recalcitrat, ne ad gratiam confugiat, quæ per spiritualem conversationem nos salvat. *Igitur ego ipsa mente* mea *servio legi Dei; carne autem mea,* idest juxta priorem conversationem, *legi peccati.*

VIII.

Nunc ergo quia venit allector noster, et propitiator, *nihil damnationis est* nobis, ejus quæ a lege sit.

Cuinam nihil est? Nisi *iis, qui sunt in Christo;* dummodo rursus *in carne non ambulaverint.* Idest, qui, peracta pœnitentia expiationem assecuti sunt, neque ulterius peccant, illis post baptismum non est scandalum, seu offendiculum a lege illa, quæ si eos subjectos habuisset quamvis humiliarentur eamque rogarent, nihilominus morti eos tradidisset. Quoniam legis ultores non dabant eis pœnitentiæ locum; idque Evangelii prædicatores non agunt. Verum et in novo Testamento est justitia, sicut et in veteri illo erat gratia; utriusque enim libamen in utroque testamento fuit: quamvis autem illius justitiæ sevitia coercuerit ac subjiceret omnem hominem sub debito, abundantia tamen hujus gratiæ laceravit, abjecitque cunctorum debiti libellos.

Lex enim spiritus, fides scilicet per baptismum, *liberavit te* per remissionem *ejus a lege* illa *peccati et mortis.*

Nam qui infirmum erat in lege: Vel Moysen appellat

infirmum, quia propitiationis indigebat ob patratum crimen apud lapidem; vel sacerdotes, et hostias sacrificiorum, eo quod non potuerunt *peccata* expiare, donec veniret unicum sacrificium, occideretque peccatum in carne sua. Aut ipsa lex erat infirma, quia nemini poterat peccatum dimittere. Infirma itaque erat lex, quia reis nequibat misericordiam ac miserationem donare; veluti infirmus, qui nihil potest operari se fortioris. Deserviebat, quoniam per servum data fuerat: servus autem servum liberare nequaquam potest; ambo namque veræ Filii libertatis indigebant. *Per carnem,* ait, *misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati.* Carnem peccatorum peccatum vocat, quia ipse carne indutus est secundum carnem eorum. Collectum est autem peccatum quod debitum erat legis, et inductum conclusit illud in ipsa carne sua, et mortuus, mortificavit illud. Quapropter dixit: *damnavit peccatum in ipsa carne sua.*

Ut justificatio legis impleretur in nobis. Non enim in eadem desperatione, quam habemus in lege, nos ambulamus. Ecce, ait, pro lege factum est istud, quod vos contra illam esse putatis. *Non* enim *secundum carnem ambulamus* nos, sicut tunc, *sed secundum spiritum*; quemadmodum et lex poscebat. Justitia nostra hodierna æqualis est ei, non autem peccatum nostrum primum.

Qui enim secundum carnem, ait, *ambulant, quæ carnis sunt, sapiunt.* Quoniam qui peccato sunt involuti, eorum opera cogitationes quoque eorum imitantur: item et eorum pars qui bona operantur.

Aliorum merces consistit in morte, aliorum autem in vita.

Quoniam sapientia carnis inimica est Deo. Sed lex divina etiam Deo amabilis est; carnalis autem inimica est utriusque: *nec Deo* placet, neque legi obtemperat.

Vos autem, qui tunc contra legem eratis, hodie spirituales facti fuistis, et obedistis legi: etsi circumcisi, ac sabbati observatores existiment nos adversarios esse legis, eo quod superflua illa legis soluta sunt desuper. Si enim illa occidisset atque salvasset, oportuisset eam prius in cordibus inscriptam fuisse. Tu autem vide, quia neque justitia plena est illa, neque in ea est illa justitia, quæ dicit: Quod tibi malum videtur, proximo ne facias.

Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: idest, non estis sub antiqua lege, sed sub opere novæ. Sin autem opera novæ non sunt in vobis, *hic* sane *non est Christi.*

Si autem Christus in vobis per opera vestra habitaverit, *corpus mortuum est propter peccatum.*

Quod si spiritus ejus, quem per baptismum in vos recepistis, donis suis *habitaverit in vobis*, *vivificabit et mortale corpus vestrum propter inhabitantem spiritum ejus in vobis.*

Ergo nolite obedire carni: hoc est, ne obtemperetis priscæ desperationi. Illos vocat carnem, quoniam opera carnalia generabant.

Si enim secundum carnem vixeritis; idest, si secundum anteriorem conversationem ambulaveritis, iterum *moriemini* post vivificationem vestram. *Si autem spiritu,* spirituali videlicet conversatione *facta carnis mortificaveritis*, per hanc vitam adeptam perseverabitis.

Quicumque enim Spiritu Dei aguntur; idest, qui in spiritualibus rebus ambulant, *ii sunt Filii Dei.*

Non enim accepistis spiritum servitutis: qui vos nempe subjiciat in servitutem legis, *sed accepistis spiritum*, qui ad perfectionem vos perducit, quoniam in *adoptionem* vocat vos; *in quo clamamus Abba, Pater noster.* Idipsum est, quod jugiter ajebat, *a Deo Patre nostro*, sicut et, *cohæredes Christi.*

Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, consilio scilicet nostro, *quod sumus* operibus nostris *filii,* et servi cum Christo.

Si enim compatimur cum illo per carnis nostræ crucifixionem, *conglorificabimur* in hora revelationis ejus.

Etenim *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam,* quam omnes creaturæ exoptant, quamque anxie expectant.

Nam omnes creaturæ in spe expectabant filios eos, qui nascendi erant in vitam resurrectionis, ut eorum ratione et ipsæ reviviscant.

Vanitati enim creaturæ subjectæ sunt. Homines videlicet adorantes creaturas vocati sunt creaturæ; sicut: *Comparatus est jumentis, et similis factus est illis.* Haud quidem volentes subjecti sunt; causa enim extitit, et *subjecit eos in spe.* Vel familia Adæ fuit, quæ subjecta est in spe: *Eritis Dii.* Vel homines fuerunt, qui subjecti sunt ad adorandas creaturas in spe, quod Dii sint illæ.

Et ipsæ creaturæ in spe liberantur a servitute illa corruptionis in libertatem, quæ futura est *filiis in die gloriæ Dei.* Dicitur autem, quod liberando liberantur creaturæ, ut glorientur illæ nobiscum in die gloriæ nostræ pro eo, quod humiliatæ sunt nobiscum in die humiliationis, et afflictionis nostræ.

Scimus, inquit, *quod omnes creaturæ ingemiscunt, et parturiunt usque adhuc:* sic enim earum humilitas poscit: nam omnes creaturæ, ex quo sibi subjecit eas homo in spe, quod Deus sit Sol, et Luna, cum cæteris omnibus, deinceps ingemiscebant et ingemiscunt, et expectant filios in resurrectionem vitæ generandos; qui sciant quidem creaturas utpote creaturas, agnoscere Creatorem autem utpote creatorem.

Sed et nos ipsi, qui spiritus mixturam habemus : quia in fine consummationis non mixtura quædam fit nobis, sed omnino perficit nos Divinitas : *et nos ipsi,* ait, *qui spiritum habemus,* in eodem spiritu *expectamus redemptionem corporis nostri.*

Quoniam in hac spe dormimus ([1]). *Spes autem, quæ videndo habetur, non est spes.* Præsertim quod illam nequaquam vidimus, sicut Adam arborem suam : alioquin quid expectaremus ac speraremus ?

Si autem invisibilem speramus gloriam, *per patientiam expectamus* usque ad tempus, quo induimur illâ.

Quoniam, ait, *et* ipse *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram,* in hora nimirum tentationis nostræ : *nam quid oremus, sicut oportet, nescimus ;* idest, nescimus, quid utile nobis sit : *sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus* susurro carentibus ; ut providentiam suam pro nobis habitam ostendat.

Qui autem scrutatur corda, scit quid consilium sit spiritus : quia secundum voluntatem Divinitatis postulat pro sanctis. Illi, inquit, qui loquebantur linguis, spiritu orabant, et ipse Spiritus sciebat ; quæque in linguis illi sciebant, et ipse loquebatur.

Quoniam diligentibus Deum omnia prospere succedunt *in bonum :* idest, in tentatione, et sine tentatione : iis, quibus in vocatione hujus diei per Abraham promissionem fecit.

Nam quos præscivit ; hoc est, ex quo promisit illis, *et prædestinavit* ([2]) eos *conformes fieri Filio suo* : quoniam ipse Filius, et nos filii. *Ut sit ipse,* ait, *primogenitus inter multos fratres.*

---

1. Idest *morimur.*
2. Arm. *invitavit.*

Quos autem prædestinavit, Ethnicos videlicet, hos *invitavit* per *(Evangelii)* promissionem, *hos et justificavit* per fidem, et baptismum. *Quos autem justificavit, illos et glorificavit* per dona Spiritus.

Si porro *Deus pro* Gentibus est, quis est qui de nobis obloquatur? Et quod si *proprio Filio non pepercit, quomodo non etiam omnia*, quæ promisit nobis, *cum illo nobis donabit?*

Quis est, qui accusabit de Gentibus, quare sint electi a Deo?

Quos Deus justificat per propitiationem, *quis est*, *qui condemnat* eos secundum legem?

Quis ergo nos separabit a Christo? tribulatio? an fames? cum cæteris.

Sed in his omnibus nos *superamus,* quoniam passi sumus *propter eam, qui dilexit nos.*

Certus *sum enim*, firmeque teneo, *quia neque mors, neque vita, neque creatura alia,* sive passionum, sive Antichristi, *poterit nos separare a charitate Christi.*

IX.

Post quam dixerit ille de ingressu Gentium, reversus est, et cœpit tristari de egressu Populi (1). *Tristitia,* inquiens, *mihi magna est.*

Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis: ii ipsi sunt filii Israël. Et ille, qui antea dixerat: Neque cruciatus Antichristi venturi separare me poterit a Christo, nunc ipse sua sponte ait, Optabam ego mori Christo, ut fratres mei viverent in Christo.

Ut autem ostendat, quod coram Deo non sunt abjecti,

1. Judaici quidem.

ac reprobati, ait: Illi vocati sunt in adoptionem, sicut et Ethnici; quippe qui participes facti sunt etiam patrum promissionibus.

Illi, unde Christus destinatus fuit, et ortus est ab iis: quia ipse est Deus super omnia; non quod ille fuit Deus super omnia.

Non autem quod exciderit verbum Dei: id est, Etsi in omnibus id non fuerit effectum, ab ipsis tamen effectum est. *Non enim omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israëlitæ: Neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii sunt;* et testes sunt filii Ceduræ, et Ismaël; *sed in Isaac,* ait, *vocabitur tibi semen.*

Ut ostendat, et manifestet, quod *non qui filii carnis* sunt, *hi filii Dei* sunt; *sed filii promissionis,* qui non ex ventre ejus sunt, *æstimantur in semine.*

Verum etsi Isaac per promissionem natus sit, et Rebeccæ per promissionem concessi fuerint filii; verum *quum nondum aliquid boni egissent, aut mali,* præveniens apparuit propositum electionis Dei, in eo quod ipsi dictum est: *Major,* inquit, *serviet minori.*

Hæc autem vocatio *non ex operibus* est, *sed ex vocante,* id est, ex ipso benedicente.

Audemusne ergo dicere, *quod iniquitas sit in Deo? Absit. Moysi enim sic dixit: Miserebor, cujus miserebor.*

Verum etsi istud penes vos antea factum sit, quia elegit, et reprobavit sine operibus; atque iterum vos dilexit, et Gentes odio habuit; quum vos fere a Gentibus per opera vestra mala vix distincti fueratis: haud tamen novum aliquod est hoc, quod Gentibus factum est, et antequam in scriptis vestris exaratus ac delineatus fuisset Gentium ingressus, in eo quem elexit, et reprobavit ex utero sine peccato, et dilexit, et odit ad libitum per Moysen; re-

probatio vestra, quæ propter opera vestra mala decreta erat, agebatur per illam, quæ sine delicto facta est, Esau, et Gentium reprobationem.

Itaque juxta testimonia superius allata, non est aliqua ratio ejus, *qui vult;* neque aliqua ratio ejus, *qui currit,* sed ratio *miserentis Dei* est. Ecce enim antequam voluntas adesset, ac separati cursus fuissent, jam manifestata est electio propositi Dei. Sin autem murmuratis vos *(dicentes)*: Cur nam istud sic agitur? murmurate, quare electus sit Isaac; atque ex simul natis fratribus fuerit Jacob amatus, Esau autem odio habitus?

Et quare dixerit Phraoni, ego *excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam,* et gloriam meam, *et ut annuntietur nomen meum per universam terram.*

Manifestum ergo fuit ex hisce exemplis quod potestate sua utitur ille: *cujus vult, miseratur, et quem vult, indurat.*

Verum antequam illi dixissent ei ([1]): Deo culpam tu imponis in hoc: ipse properans dixit eis: Porro tu, inquit, fortasse ita dices: *Quid ergo culpam alteri ponit, quum ecce voluntas ejus perficitur?*

Iisdem reponit, non cedens illis in hoc, quod dicitur, *Quis poterit resistere ei? o homo, tu quis es, qui possis* de hoc *respondere Deo?* Quemadmodum non habet massa facultatem detrahendi figulo; neque vos potestis præsumere respuere auctoritatem potestatis Creatoris. Si enim *figulus habet potestatem* in lutum suum, *ex eadem massa facere sibi, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam;* ita et Deus induxit in longanimitate iram, non in bonum ac pulchrum vas; quum ipse hoc agere potuisset:

1. Paulo nempe.

sed minime excessit justitiæ terminum; etsi *in multa patientia induxerit* iram *in vasa iræ apta in interitum.*

Sicut autem induxit iram (in ea), sic etiam effudit *divitias gloriæ suæ in vasa apta in misericordiam, quæ jam præparavit in gloriam* suam, id est ex ipsis Abrahæ diebus. Hæc autem *non ex solis Judæis sunt, sed etiam ex Gentibus.*

Sicut et Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem mihi.

Et alius Propheta ait: *In loco, ubi dictum est eis; Non plebs mea vos, ibi vocabuntur ipsi Filii Dei vivi.* Resumit iterum testimonium ducere ex Isaia, ut palam ostendat, quod ex ipsis Prophetarum diebus præsignata erat illorum abjectio ac reprobatio, quum dixerit: *Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena* in littore *maris*, pauci quidam ex illis salvi fient.

Atque iterum dixit: *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma, et Gomorrha similes fuissemus. Quid ergo dicemus?* Quod Gentes, *quæ non sectabantur justitiam* Moysis, *apprehenderunt justitiam* fidei Abrahæ. Filii vero *Israël*, qui sectabantur legem, eo quod non acquisiverunt fidem, non potuerunt acquirere eam ex ipsis operibus legis; sed *offenderunt in lapidem offensionis:* sicut de illis dixit Isaias, qui ex eis erat.

X.

Verumtamen *obsecratio mea ad Deum pro illis*, ut salventur, et redimentur.

Nam *æmulationem Dei præ se ferunt*, ut affirment legem ejus; sed non noverunt eum.

Ignorant enim justitiam ipsam *Dei*, quæ per fidem perficitur; *et suam* justitiam, quæ ex lege est, *quærunt statuere.*

Finis enim legis, quam habent, *Christus* est. Dixit

scilicet : Venit : et ecce venit, et confirmata est *(lex)* ; haud tamen illis, qui sectantur justitiam *(legis)*, sed iis, qui credunt justitiam.

Moyses enim sic *scripsit*, *quoniam Qui fecerit justitiam quæ ex lege est*, *vivet* per eam in hac vita.

Quæ autem ex fide est justitia, sic docens, *dicit: Ne dixeris in corde tuo; quis ascendit in cœlum, et deduxit Christum?*

Aut quis descendit in abyssum inferni, et resuscitavit *Christum a mortuis?*

Verum duo hæc, in quibus ii offendebant, fides commendavit ea. *Quia si confitearis* tu per hæc in corde tuo ; hæc sunt, *cor* quod *credit ad justitiam, et os* quod *confitetur ad* vitam, *et salutem.*

Sed ne forte dixerint, quod fidem novam veniens prædicat ex mente sua, testimonium adduxit ex Scriptura dicente : *Omnis, qui credit in illum, non confundetur.*

Et in hoc nihil distinctionis fecit ille, nec in Judæis, neque in Gentibus. *Nam* unus est *Dominus omnium,* et una est vitæ janua, quæ per fidem aperta fuit universis ; et ipse promptus est ad exaudiendum omnem hominem, *qui invocat illum.*

Sic *(enim)* scriptum est : *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

Quomodo autem *invocabunt*, qui in eo sunt ? Si in fide vixerint, Non crediderunt tamen. Aut quomodo credent ei, quem audire nolunt? *Aut quomodo audient sine prædicante*, interprete videlicet? sicut Philippus Eunucho.

Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur ad illos ? Aut penes illos non permanserint missi? Quoniam festinantes egressi sunt, ut ambulent inter Gentes. Aut illud dicit, quia quod oporteret fieri illis, accidit, et illi noluerunt

auscultare prædicatores de quibus scriptum erat: *Quam speciosi* sunt *pedes, evangelizantium* salutem, et *pacem!*

Sed quemadmodum in ipso tempore prædicationis prophetarum non omnes audierunt; ita et hodie. Hoc ipsum etiam, quia non audiunt nunc, oblivioni non tradidit prophetia; *Isaias enim* ita *dicit: Domine, quis credidit auditui nostro?*

Videte *ergo*, quia *fides ex auditu est;* sicut hodie: auditus autem ex oraculo est.

Sed dico: Numquid non audierunt Hebræi? Etiam: quia *in omnem terram exivit sonus* Apostolorum.

Sed fortassis, mundo audiente, Israel non audivit. At non modo tantum non audierunt: prius enim *Moyses dixerat: Ad æmulationem vos adducam in non gentem meam, et in gentes insipientes* compungam vos.

Isaias autem præsumpsit, mortemque acceptam habuit; et ex persona Filii audens dixit: Manifestatus sum non quærentibus me.

Ad Israel autem sic *dicit: Tota die expandi manus meas ad popolum* durum, *et contradicentem.*

XI.

Post hæc manifestavit enarravitque ex Scripturis de inobedientia, et rejectione eorum. Redit ad Ethnicos admonendos ne peccent, neque superbiant: quippe qui honorat ipse et Hebræos, et ostendit clausam non esse contra eos januam, si converti voluerint, et pœnitentiam agere. *Numquid,* ait, *Deus penitus repulit populum suum? Absit.* Ego ipse, qui electus fui, undenam sum? Non ne *Israelita sum, de* minima *tribu Benjamin?*

In me ergo ostendit Deus, quod *non repulit plebem suam;* eam utique *quam præscivit.* Paucos illos, qui cre-

diderunt, plebem nuncupavit *(Paulus)*, adducens in testimonium verbi sui *septem millia* virorum, qui relicti erant in diebus Eliæ.

Sic ergo, ait, *et in hoc tempore* pauci manserunt de plebe illa, ut eligerentur ad gratiam. Si autem per gratiam sunt, *non sunt ex operibus* legis.

Quid ergo? Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus. Verum etsi *electio* non omnes *consecuta* sit, non omnes tamen illa privati fuere; quia ad electos ex illis pervenit, ad cæteros autem prorsus non pervenit, qui omnino *excæcati sunt* ad aliquod tempus.

Sicut præveniens locutus est propheta de iis, dicens: *Dedit illis Deus oculos, ut non videant, et aures, ut non audiant, usque in hodiernum diem.*

Et David sic *dicit: Obscurentur oculi eorum, ne videant.*

Verum non ut offenderent, utque caderent: *Sed illorum delicto salus Gentibus* facta *est, ut illos æmulentur:* sicut dixit, æmulari vos faciam non plebem.

Quod si per correptionem, quæ venit super illos, facta sunt *divitiæ Gentium;* quoniam ingressæ sunt per egressum eorum; quanto magis ergo, si conversi fuerint, fuerintque prædicatores potius quam crucifixores atque evangelizantes, potiusquam cunctatores.

Vobis dico, qui vocati estis ex Gentibus, *ego Apostolus, ministerium meum;* idest, quidquid factum est in populo, et in Gentibus, *honorificabo.*

Propter id namque volebam ego, ut *ad æmulandum in eis provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis;* qui nostrorum prædicationi verborum, nostrisque signis non acquieverunt.

Quoniam Dominus noster pro omnibus mortuus est, veretur dicere: Aemulor Christum, si moriar, ut ille, et

salvos faciam ad similitudinem ejus, unus enim agnus est, qui pro universis mactatus est, etiam pro ipso Apostolo. Hoc ergo, quod veritus est palam dicere, sapienter idipsum dixit: quia enim Christus in carne ejus habitaverat, sic ait: *ad æmulandum provocem carnem meam*, Dominum videlicet in carne mea habitantem. Sicut enim ipse occisus est, et salvos fecit Ethnicos, occidor et ego, et cognatos meos mea morte salvos faciam.

Ne autem existiment Ethnici, quod si Populo ingressus detur, ipsi rejiciantur, et reprobentur, dixit: *Si enim casus eorum reconciliatio fuit* Gentium, etiam reconciliatio illorum erit *vita* promissa, quæ fit post resurrectionem.

Quod si principium sanctum fuerit, et massa quoque *(sancta erit)*; et quando radix sancta, item et rami.

Quod si rami radicis *fracti sunt* et excisi, *tu autem cum oleaster esses*, quia nimirum proscripti eratis, vos Ethnici, *inserti estis*, et populi loco fuistis, nolite gloriari, quia egressis illis, factus est ingressus vester: *non enim vos radicem portatis*: id namque Apostolorum est, qui veluti radices ecce vos portant.

Dices fortasse: *Rami primi fracti sunt, ut ego* eorum loco *inserar*.

Bene: propter incredulitatem suam *fracti sunt*; vos autem fide confirmati fuistis. Nolite superbire: non enim ex operibus vestris hoc factum est, sed ex gratia. Imo neque de ipso populo id ablatum fuit. Itaque *time* tu peccatum.

Si enim Deus naturalibus illis ramis, ipsis scilicet Abrahæ filiis *non pepercit*, quia peccaverunt, quomodo vobis parcet, si peccabitis? Ecce enim vos insertione inserti estis, idest nomine tenus nominati estis vos Abrahæ filii.

Sicut ergo gustata est a te in vocatione tua suavitas Dei, gustabitur a te etiam egresso populo, severitas Dei: si permanseris tu in hac fide; alioquin et tu excideris.

Sed et illi si non permanserint in incredulitate, ipsi quoque *inserentur.* His itaque duobus verbis, quæ dixit, solvit ille electionem, quam introduxit: quamvis enim elegerit, reprobavit tamen, demonstrans, quod non qui electi fuere, probi sunt: si enim peccaverint repellentur, et reprobabuntur iidem. Neque qui repulsi fuere, improbi sunt; si enim pœnitentiam egerint, misericordiam invenient. *Et illi,* ait, *si non in eadem incredulitate, inserentur : potens est enim Deus* per expiationem baptismi *iterum inserere illos.*

Nam si tu, qui *ex naturali* illo *oleastro* eras; idest, si vos, qui iniqui eratis, et in idolorum cultu stabatis, *excisi estis* a malis consuetudinibus vestris et ab acerbis generatoribus vestris, atque nominati estis Abrahæ filii, *quanto magis* illis facile id erit? Non enim in alienos patres inseruntur illi, sed in Abraham fontem suam, et radicem, unde exierunt, inseruntur.

Volo ego, fratres, ut aliquantulum periti sitis in hoc mysterio; nempe ut sentiatis modice hoc mysterium, ut non sitis dumtaxat sicut illi, qui sibi ipsis solis sapientes sunt. *Quia cœcitas ex parte intravit in eos.* Quapropter fortasse dixit: *Noli dicere in corde tuo, quis ascendit in cœlum, et deduxit Christum?* In hoc enim obcæcati sunt illi, dicentes, Quomodo nascetur Deus: imo et nonnulli Ethnicorum excæcati sunt in eo, et rejecti exierunt de Ecclesia, sicut et populus. Quum non fuerint convicti, neque obmutuerint per populi egressum, poterat Deus persuadere ac convincere eos; sed non suasit, nec convicit, quia tempus ingressus Gentium jam pervenerat. Quum autem intraverunt Gentes, convicit eos per Paulum, per eum, qui raptus est, et audivit verba inenarrabilia; et aperuit ipsis portam ad vitam, ad eam, de qua prædictum fuerat: *Veniet ex Sion Salvator, et avertet impietatem a Jacob.*

Et hoc illis a me testamentum mandati, in tempore, *quum expiabo ego peccata eorum* per baptismum.

Secundum Evangelium quidem inimici sunt, quoniam crucifixerunt *(Dominum): secundum electionem autem charissimi* sunt *propter patres.*

Sine pœnitentia enim sunt dona, et vocatio Dei, quæ fuerunt ad eorum patres, si conversi fuerint, et pœnitentiam egerint filii illorum.

Ecce enim *aliquando et vos rebelles* eratis *Deo; nunc autem misericordiam consecuti estis* gratis, *propter incredulitatem eorum.* Quia noluerunt assentire, coercuit, et *inclusit eos.* Testatur autem illud, quod supra est, ex eo quia non acquieverunt, ut misereatur vestri. Virtus verbi ejus hæc est: *Conclusit eos sub sententia* solutionis. Iterum enim manifestis signis, videlicet sacrificiis, decimis, prophetis, et regibus, sicut olim erat, non amplius erunt populus Dei. Peccaverunt illi per vitulum, dum adhuc penes illos erant hæc omnia. Sed nunc, sicut solebat, non est misertus eorum, *ut omnium miseratur.* Eorum quoque miserebitur, si converti voluerint, et pœnitentiam agere.

O altitudo divitiarum, et *sapientiæ, et scientiæ Dei,* propter hæc, quæ fecit ille inter populum suum, et Ethnicos: *quam incomprehensibilia sunt judicia ejus* inter populum facta, *et investigabiles viæ ejus* inter Gentes!

Quis enim cognovit sensum Domini antea, quod hæc ille facturus esset? *Aut quis consiliarius ejus fuit* eo tempore, quum voluit ipse hæc facere?

Aut quid mutuo dedit ei populus, ut murmuraverit, quod sibi non retribuerit?

Quoniam omnia *ex ipso* dantur, *et per ipsum facta sunt omnia.* Pro utroque porro *ipsi gloria,* et laus *in sæcula* sæculornm. *Amen.*

XII.

Postquam dixisset de egressu Populi, et de Gentium ingressu, redit ad reprehendendos corripiendosque Romanos, ut regant se ipsos in mansuetudine, lenitate, et diligentia, atque renoventur in mentibus suis, eligantque bonum, et effugiant malum. *Obsecro vos*, ait, *exhibete corpora vestra hostiam*, non sicut bruta animalia, quæ mactata super aram vetitam imponebantur; sed estote vos *hostia vivens sancta*, et *Deo placens* per *obsequium* istud vivum, idest, quod hodie prædicatur a nobis.

Ut probare possitis, *quæ sit voluntas Dei bona*, *et beneplacens*, *et perfecta*.

Rursum cœpit admonere, et corripere eos, ne respuant se invicem propter amplitudinem donorum Spiritus, quæ habebant ipsi. *Hoc*, inquit, *dico per gratiam, quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos,* idest, cum omnibus vobis :

Non plus sapere quam oportet : hoc est, ne quærant ibi dona permagna plusquam sit eorum potentia aut oporteat sibi dari, ne iisdem lædandur ; *sed sapere* ad obedientiam sanctitatis, servare videlicet mansuetudinem sobrietatis : *et unicuique sicut Deus divisit* juxta *mensuram fidei.*

Ecce enim sicut divisa sunt munia membrorum corporis, ita distinctæ, et divisæ sunt gratiæ Spiritus.

Quoniam nos omnes *unum corpus sumus in Christo*, sicut et *alter alterius membra sumus.*

Porro si habemus gratiam donationum differentium, hæc tamen omnes pro Ecclesiæ officiis sunt. Uni enim prophetia data est secundum mensuram fidei. Et sic singulis juxta propriam utilitatem diversæ gratiæ ab uno illo sunt datæ.

Quapropter *honore* vos *invicem prevenite :* cum cæteris pluribus præceptis, quæ ad hoc mandatum appropinquantur.

Præterea scribit ad eos, humiliter se se gerere non solum erga magistros suos, verum etiam penes principes mundi.

XIII.

Omnis anima, inquit, quæ potestatibus subdita sit, in obedientia stet. *Non enim est potestas, nisi a Deo.* Si iniquus, et severus quis fuerit ; pro iniquorum correptione, justorumque probatione ipse datur : sin autem benignus, et verax fuerit, pro misericordia datus est ipse.

Utcumque sint illi, in quibuscumque rebus sint, Dei tamen jussu sunt. Itaque qui resistit principi, qui vexator mali est, Dei voluntati resistit. *Qui autem resistunt,* inde *ipsi sibi damnationem acquirunt.*

Vis autem non timere tu principes illos ? *Bonum fac ;* et pro timore in conspectu eorum, laus tua abundat ex eis.

Dei enim minister est ille, quia in eo perficitur voluntas Dei super justos et iniquos. *Si autem malum feceris, time,* et ne facias : *non enim sine causa* gladio accinctus est.

Itaque necesse est obedire, non quia iræ vindex est ille, *sed etiam propter conscientiam,* idest propter mentem nostram, ne vituperet nos, quia impleti sumus ira, et restitimus ei post præceptum nobis datum de non resistendo illis.

Ideo enim et tributum præstatis ; ministri enim vos estis *Dei,* qui ob humilitatem suam tributum dedit propter vos, ut vobis esset exemplo.

Reddite ergo omnibus debita.

Nemini autem *quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis : qui enim diligit proximum,* omnem *legem implevit.*

Nam quæ dicta sunt, *Non adulterabis*, *Non furaberis*, et cætera, *in hoc verbo* perficiuntur, quod dixit : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Quapropter ait : *Dilectio* fratrum *nihil mali operatur.*

XIV.

Infirmum autem in fide dicentem hoc manducabo, hoc vero non manducabo, *assumite.*

Alius credit se manducare omnia ; talis autem etsi sibi ipsi non noceat, proximo tamen nocet : *qui autem infirmus est,* in mente sua, ipse *olus manducet.*

Is qui manducat, jejunantem, *qui non manducat*, ne impediat : et abstinens, *qui non manducat, manducantem non judicet. Deus enim illum assumpsit propter* fidem ejus.

Tu autem *quis es, qui judicas alienum servum ?* Si non stat, idest, si infirmatur, *potens est Deus statuere illum.*

Alius jejunat ([1]) de die in diem, alius autem quotidie : quoniam sunt, qui diebus insignibus jejunant ; et sunt, qui omnibus diebus vitæ suæ. Unusquisque in sua mensura stet ; sive magna fuerit, sive parva, si constanter adhæreat. Hoc autem agat propter spem, non propter inanem gloriam.

Omnis *qui sapit diem, Domino sapiat : et qui manducat*, *in Domino manducet*, et benedicat Deo.

Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus.

In hoc enim et *Christus mortuus est,* et resurgens revixit, *ut mortuorum, et vivorum* indiscriminatim *dominetur.*

Tu autem quid judicas fratrem tuum, qui manducat ? *aut tu quare spernis fratrem tuum* jejunantem ?

---

1. Aut *observat:* ad quam lectionem Arm. accedit et Æthyop. *religiose observat :* reliquæ versiones legunt, *judicat.*

Unusquisque nostrum sane rationem reddet Deo pro operibus propriis.

Non ergo amplius vos *invicem* condemnete, sed hoc statuite in mente vestra, ne quis unquam offendiculum ponat fratri suo.

Hoc *scio*, et statui, non a mente mea, sed per Dominum meum, qui in me est, quia nihil immundum est per ipsum. Quicumque infirmus est mente sua, in consilio scilicet proprio, omne quidquam immundum illi est. Verum hæc, quæ ad Romanos scripsit, eadem sunt, quæ ad Corinthios scripsit; quia et Romæ manducabant fideles cum infidelibus in idolorum domu; haud tamen carnem immolatam, et vinum oblatum, sed carnem mundam, et vinum merum ab idololatriæ consilio. Quoniam vero vidit Apostolus, quia scandalizantur in eos videntes, comedentes fecit ut credentes, ne pudore istos afficaret; et aspicientes infirmos vocavit, atque dixit:

Noli cibo tuo te non lædente *illum perdere, pro quo Christus mortuus est.*

Non, ait, *blasphemet* te idipsum bonum, quod tu facis.

Regnum enim, quod magno desiderio expectamus, non per escam acquirimus, sed per *justitiam, et pacem,* quam tu inter te, fratremque tuum facies.

Qui enim in hoc, quod ego recensui, *servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus*: idest, quia offendiculum fratri suo ille non comperitur.

Omnia quidem sunt munda, quemadmodum dixi; *sed malum est homini, qui per* conscientiam, et *offendiculum* aliorum *manducat.*

Bonum est non manducare carnem; neque in quo frater tuus offenditur.

Quod si dixeris: ego in fide manduco; si fidem tu

habes, *penes temetipsum* gloriare in illa coram Deo, non vero coram iis qui scandalizantur in te. *Beatus, qui non judicat semetipsum in eo,* quod monuit: vel quia bene monuit, et non judicat ipsum consilium suum, quod male monuit: vel quia non judicavit, nec damnavit seipsum propter bona opera, quæ fecerunt proximi ejus, ipse autem non fecit.

Ut autem arceat infirmum, ne prorsus illuc eat, dixit: *Qui autem discernit, si manducaverit, damnatur; quia non per fidem* emundat, et manducat. Ut autem impediat et credentes ipsos, subdit.

XV.

Debemus, ait, *nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere,* non autem infirmitatem in tormenta eorum, quæ illi habent, superaddere; *et non nobis placere* unumquemque nostrum:

Sed etiam *proximis suis placeat in bonum.*

Et imitetur in hoc Christum, qui *non sibi soli placuit: sed sicut scriptum est: Improperia improperantium tibi ceciderunt super me.*

Dico, quod Christus Jesus etsi acceptam habuerit circumcisionem, verum ipsa veritas Dei circumcisio fuit, idest, illa supplevit locum circumcisionis, *ad confirmandas promissiones patrum*; indutus enim est Dominus noster carne circumcisa ex circumcisis illis patribus. Quod autem dixit, *ad confirmandas promissiones patrum,* illud est, quod dixerat: Et ego aspernar semen filiorum Israel? idest, non spernar. Hoc ipsum autem impletum ac perfectum fuit per unum; sicut impletum est in sæculo quarto per Caleb, et Josue.

Quia ergo hoc nomen circumcisis erat patrum gloriatio,

Gentes autem in præputio, quum non habuerint patres circumcisos, glorificant Deum propter misericordiam: hoc est, ipsi Ethnici sint in locum patrum circumcisorum. Imo etiam propter hoc indutus est Dominus noster carne circumcisa, ut per eam Ethnicos circumcisione carentes benedicat, æquales fidei Abrahæ in ipso præputio.

Ad illud autem dictum, Ethnici propter misericordiam benedicant, testimonium adducit, dicens: *Scriptum est, Confitebor tibi in gentibus.*

Et iterum dicit: Lætamini Gentes cum plebe Dei.

Et iterum: Laudate omnes Gentes Dominum. Hæc autem replicavit, ut demonstret, quod ab ipsis suorum prophetarum diebus exaratus erat ingressus Gentium, qui futurus erat per radicem Jesse revelandam; *in eum Gentes sperabunt.*

Habeo igitur ego *gloriam* non extra Christum, sed *in Christo Jesu ad Deum.*

Non enim audeo aliquid loqui præter ea, *quæ per me effecit Christus.* Opera enim quæ efficiuntur per me, illa testificantur de verbis meis. Hæc autem, quæ facta sunt in me inter Gentes, non meris verbis fuere, sed factis, et virtutibus, et signis, et prodigiis *in virtute Spiritus* Dei. Imo per eum contigit mihi circumire *ab Jerusalem* usque in Illyricorum partes ad replendum in cunctis regionibus *Evangelium Christi.*

Nolo enim ego prædicare Evangelium, ubi semel nominatum sit nomen Christi: sed illud quod scriptum est.: *Quibus non est annunciatum de eo, videbunt* illum, per me volo ego id perfici; at annuntiabo ego ipsum, ubi non audierunt famam ejus: *ne super alienum fundamentum ædificarem;* idest: ne ingrediar, et prædicem in loco, quo intrarunt socii mei.

Quia ergo *non est locus* vacans *in his regionibus*, quo-

niam implevi ego istas Evangelio Christi, *et quia cupiditatem* nimiam ego *habebam* videndi vos, cum percurrerem partes Hispaniæ, videbo vos, et implear vobis ; lucrabor videlicet vos.

Nunc igitur proficiscor ego in *Jerusalem* propter ministerium sanctorum, qui sunt in Jerusalem.

Placuit enim incolis Macedoniæ et Achaiæ, participationem aliquam facere ministrationis largitionum, ut nempe communicentur *in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem.*

Hoc enim debita sua tribuunt, quod dant illis portare.

Nam si spiritualium eorum participes facti sunt, puta, in ipso Evangelio ; *debent et in carnalibus* per largitionem tributarii fieri illis.

Hoc igitur cum consummavero, veniam ad vos, *et per vos proficiscar in Hispaniam.*

Scio autem, quod veniens ad vos, in jussu Domini Evangelii *veniam.*

Obsecro vos fratres, ut adjuvetis me in orationibus ad Deum, ut liberer a rebellibus, *qui sunt in Judæa ; ut oblatio obsequii* nostri, quam portamus in Jerusalem, *accepta fiat* coram Domino.

Atque veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei.

XVI.

Rogo autem vos fratres, ut observetis eos, qui schisma faciunt et *offendicula* ponunt.

Hujuscemodi enim Jesu *Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri ; et per dulces sermones, et benedictiones* suas decipiunt, *seducunt,* et captivant *corda innocentium.*

Ut *vestra obedientia* in omnes partes perveniat, sive conversatio vestra bona ad omnem hominem perveniat ;

aut Evangelium, quod acceptum admisisti, coram universis hominibus prædicetur.

Deus autem pacis conterat Satanam, qui defatigat vos in his omnibus; et ponet eum *sub pedibus vestris*, pro eo quod voluit ille dimovere prædicationem oris vestri.



EPISTOLA

AD CORINTHIOS PRIMA.

Quum ad Corinthios Evangelium per Paulum pervenisset, atque ii Spiritum accepissent, dominata est eorum tumens ambitio propter gratiam donorum Spiritus. Et cœpit unusquisque eorum satagere ut proximum suum ad se pertraheret; et primum quemquam sibi adscitum discipulum festinabat statim magister suus baptizare: ne forte alius præveniens eum baptizasset, suoque nomine appellasset. Quamvis enim novam prædicationem istiusmodi homines prædicarent, vetustam tamen consuetudinem præseferebant. Quamvis sectæ votorum distinctæ, ut familiæ Platonis, et Aristotelis non haberent, mos tamen dissensionis, sicut eis, similiter et istis inerat. Atque in ipsis eorum rectoribus doctoribusque unus Hebræus erat, isque supra socios suos sese jactans, superbiam usurpabat: alter sapiens erat; alter dives erat, et largitiones distribuebat. Unus prophetia erat præditus, alter genere linguarum, alter linguarum interpretatione: atque alius alium antecellebat, quia propter Evangelium persecutionem passus fuerit, et cruciatus.

Quum vero unusquisque horum in eo, quod habebat, elatus gloriaretur, discipuli tamen eorum, plusquam illi, eadem magistrorum gloriatione jactabant. Apostolus itaque in humilitate ad eos scripsit, sic dicens:

Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, quæ facta est propter conversionem vestram; *et Sosthenes frater.*

Participem sui in Epistola fecit fratrem, ut eos doceret, quod si frater propter Pauli humilitatem adeo exaltatus est, ut cum Apostolo nomen ejus in Epistola scriberetur, quanto magis illi æquales, et concordes inter se invicem esse debebant, quum ipsi fere ejusdem sint conditionis.

Ecclesiæ Corinthiorum quæ infirmata *est*; *cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco,* qui nempe hactenus non sunt infirmati.

Gratias ago Deo meo semper, quia minime imminuti estis vos *in ulla gratia* cæteris Ecclesiis data. Et hoc unum deest vobis, *expectare revelationem Domini nostri,* ut illibati et immaculati comperiamini in illa die.

Obsecro vos, fratres, ut unum idemque verbum habeatis vos omnes, *et non sint* in *vobis schismata,* sed estote omnes *in eodem sensu, et in eadem sententia,* pro eo quod nunc estis in sensibus divisis.

Significatum est enim mihi de vobis, fratres, ab iis, qui sunt Chloës, non quasi accusarent vos, sed quia contristati erant super vos. Significatum itaque est mihi, *quia contentiones habentur inter vos.*

Hoc autem est, quod *dico:* Quidam ex vobis dicunt, *nos Pauli sumus*; aliqui ajunt, *Apollo sumus.* Hic quoque humiliavit seipsum magis quam Apollo, ut confundat eos, qui supra se invicem fastu efferrebantur. Non enim in nomine Pauli, et Apollinis, neque in nomine Petri, et Christi appellabantur, sed in nomine Magistrorum suorum vocabantur. Ne ergo confunderet eos, publicaretque in mundum eorum nomina; suppresso ipsorum nomine, ne traducerentur, scripsit nomen suum, et sociorum, ipsiusque universorum Domini; ut aliquando reprehensi, et correpti adveniant ad mansuetudinis humilitatem.

Numquid, ait, *crucifixus est pro vobis? aut in nomine*

Pauli baptizati estis? quia in nomine Pauli jam superbientes jactatis.

Gratias ago Deo, quod neminem vestrum ego *baptizavi:* duos enim ex vobis baptizavi, ut noscatis me in nomine Christi baptismum ministrasse.

Non enim misit me Christus baptizare mox statim, sicut vos agitis, *sed evangelizare; non in sapientia verbi,* sicut etiam quidam ex vobis arroganter gloriantur in ea. Si enim introivit sapientia, *evacuabitur* virtus *Crucis;* illa, quæ inter omnes Ethnicos sine sapientia prævaluit.

Quamvis enim Græcis, post sapientiam errantibus, *verbum Crucis stultitia sit;* nobis tamen qui salvati sumus, qui per eam vita donati sumus, *Dei virtus est.*

Ne autem putetis me contempsisse sapientiam, eo quod minime comprehendidi illam; audite quodammodo ex Scriptura, quod sicut ante spreveram illam, sic fuerat reprobata juxta Spiritus prophetiam. *Scriptum est enim: Perdam astutiam astutorum, et sapientiam eruditorum reprobabo.*

Ubi ergo est sapientia, quæ superbit? aut *scriba,* qui gloriatur? aut *conquisitor,* qui conquirit in astutia, et callididate conquisitiones *hujus sæculi?* Ecce enim *stultam fecit Deus,* idest, aspernatus est ac reprobavit Deus *sapientiam hujus mundi.*

Quia in Dei sapientia non cognovit mundus sapientiam Dei; idcirco hodie *placuit Deo,* potiusquam per sapientiam, *per stultitiam,* per simplicitatem scilicet hujus *prædicationis salvos facere credentes.*

Quoniam et Judæi signa petunt, non autem sapientiam domus Platonis; Ethnici *sapientiam quærunt* potiusquam signa:

Nos autem prædicamus Christum crucifixum; Judæis

quidem signa petentibus *scandalum* est, vel ejus passio, *Gentibus autem* sapientiam quærentibus *stultitia* est.

Ipsis autem vocatis ex Judæis, aut ex Gentibus, *Christus* est *Dei virtus*, ejusque *sapientia*. Virtus Dei est ille, quippe quia omnia idola subvertit : sapientia quoque ejus est, quia per pacem allexit domuitque Ethnicorum sævitiam.

Porro vos exemplum accipite a *vocatione vestra, quia non multi sapientes* sunt in vobis *secundum carnem* : si quid enim sapientiæ unquam opus fuisset, sophistas elegisset, non autem piscatores : æque fortes, et nobiles multi sunt ex vobis.

Sed elegit indoctos, *ut* per eos *confundat sapientes* erroribus imbutos ; *et infirmos elegit*, ut per eos *confundat* fortes a cupiditatibus conculcatos.

Et ignobiles elegit, et contemptibiles, et eos, qui non erant, ut jactantiam superbiæ *eorum, quæ sunt, destrueret.*

Ut non glorietur omnis caro in eo, quod reprobatum est *in conspectu Dei.*

Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, quippe *qui factus est nobis sapientia ;* siquidem per dona gratiæ ejus nos loquimur ; *et justitia* nostra, quoniam eo auxiliante justificamur ; *et redemptio* nostra, quia per ejus mortem salvi facti sumus ; *et sanctificatio* nostra, per ejus namque baptismum expiati sumus.

Ut in eo omnino gloriemur ; *quemadmodum scriptum est : Qui gloriatur, in Domine glorietur.*

II.

Et ego quum venissem ad vos, fratres ; non in sublimitate sermonis, in sapientia *(scilicet)* Rhetorum, neque in sapientia poetarum annuntiavi vobis mysterium Dei.

Neque in mente mea arbitratus sum, *me scire aliquid amplius, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.*

Et ego in infirmitate, et timore, et tremore multo, haud sane in jactantia et superbia *fui apud vos.*

Et sermo meus, et prædicatio mea, non in seductoriis *sapientiæ verbis, sed* in operibus *spiritus et virtutis,* idest in operibus ex Spiritus Scripturis, et in virtute signorum.

Hæc autem operatus sum, *ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in ipsa virtute Dei.*

Sapientiam loquimur non cum pueris, sed *cum perfectis* : *sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum horum temporum,* qui sunt destruendi :

Sed loquimur Dei sapientiam in mysteriis absconditis, per mysteria nimirum, quæ subindicata erant in prophetis; quorum veritas abscondita erat in Deo, quæque præelegerat Deus in gloriam suam ante sæcula: id, quod ante mundum fuerat in consilio Dei electum, in fine temporum adventurum.

Quam nemo principum, nemo scilicet sacerdotum *cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Id est, quod Apostoli dixerunt : « Scimus, quia per errorem deceptionis hæc fecistis : convertimini igitur, et pœnitemini, et nemo id vobis reputabit ad peccatum (1) ».

Sed sicut scriptum est : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit.* Et ubi hoc scriptum est? nisi in ipso Evangelio Domini nostri, quum dixit: quia Reges et justi desideraverunt videre, quæ vos videtis, et non viderunt; et audire a me, quæ vos auditis, et non audierunt.

Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Aut per virtutes, quas per eos operabatur : Aut illud est, quod dixit : Spiritum paraclytum mittet ad vos Pater meus in nomine meo : ille docebit vos omnia. *Spiritus enim,* ait, *omnia scrutatur,* idest, revelat.

1. Act. 3. 18.

Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quæ Dei sunt, (revelat) per Spiritum ejus, per quem idonei facti sumus ad comprehendenda ejus mysteria.

Nos autem non alium spiritum accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est: ut per eum *sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis.*

Non solum opera nostra spiritualia sunt, verum etiam quæ prædicamus, non sunt eruditiones sapientiæ hominum, *sed doctrina Spiritus*: quoniam per spiritualia opera prædicamus vobis, et *spiritualibus* spiritum nostrum *comparamus*, ides, loquimur vobis, qui in lingua Spiritus loquimini.

Qui enim animales sunt homines, quique non susceperunt Spiritum, hi stultitiam hæc arbitrantur: idque est, quod dixit: Nolite projicere margaritam ante porcos: *et non possunt intelligere, quia spiritualiter examinantur:* idest, per spiritualem hominem condemnantur.

Spiritualis autem homo, in quo peraguntur opera Spiritus, *dum omnia examinat, ipse a nemine examinatur.*

Quis enim cognovit sensum Domini, nisi qui particeps ejus erit? quemadmodum, ait, priores justi, qui adorationis Dei fuerunt participes, Dei voluntatem cognoverunt. Item *et nos* nostra participatione passionum Christi *accepimus sensum Christi.*

III.

Quamvis autem vos opera Spiritus habeatis in vobis; attamen *non potui vobis loqui quasi spiritualibus* hominibus;

Et *tamquam parvulis,* qui incipiunt audire Evangelium, *in Christo lac vobis potum dedi, non autem* exhibui vobis *escam solidam, quia carnales estis: sed nec nunc quidem* ad solidos cibos apti estis, *quia carnales estis.*

Cum enim sit inter vos zelus et contentio ad augendos et multiplicandos auditores, atque ad nuncupandos eos singulis vestris nominibus, *nonne carnales estis*?

Nos ipsi magistri vestri, quid sumus? *Nonne ministri* mediatores scilicet, *per quos credidistis?*

Quamvis enim *ego plantaverim, Apollo rigaverit, Deus* tamen *incrementum dedit.*

Itaque neque a magistris vestris, neque a vestris præceptoribus est, sed a Deo, *qui incrementum dat.*

Dei enim sumus cooperatores, nosque concurrimus per vos placere Deo.

Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, idest architectus Spiritus.

Fundamentum autem est ipsa fides: præter id, quod prædicavi vobis, non est aliud.

Si quis autem superædificat super hoc opera bona veluti *aurum,* aut doctrinam pravam, turpiaque opera tamquam *stipulam, ignis* probator diei magnæ *probabit* opus illud.

Cujus enim ædificium *manserit, mercedem* ædificationis suæ in Regno *accipiet.*

Cujus autem ædificium *arserit, detrimentum patietur,* idest torquetur. Quamvis enim resurrectio suscitaverit eum, atque vivificaverit, *sic tamen* ipse misere vivet, *quasi per ignem.*

Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei per opera *habitat in vobis?*

Si quis autem templum Dei violaverit per invidiam, per fornicationem, et per cætera hisce similia, *disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.*

Nemo igitur *se seducat,* neque existimet nullam acceptur um esse ultionem eum, qui maculam intulerit corpori suo, quod dignum est effectum per gratiæ dona fieri

tabernaculum Spiritus. *Si quis* ergo vestrum putaverit, quod ego *sapiens* sim *in hoc sæculo*, non solum iste minime glorietur in hoc, immo vero *stultus fiat*, simplex scilicet, et insons; *ut sit sapiens* in Domino.

Sapientia enim hujus mundi stultitia est, reprobata nempe est, *apud Deum*. Sic *enim scripta est: Est qui comprehendit sapientes in astutia eorum*, videlicet, qui judicat illos secundum cogitationes eorum.

Et Dominus novit cogitationes sapientium; quamvis enim illas existiment solertas atque profundas, attamen *vanæ sunt*.

Nemo itaque glorietur in hominibus: id namque unum est eorum.

Omnia enim vestra sunt, non homines dumtaxat, verum etiam invisibilia et invisibilia, quæ præparata sunt vobis.

Quoniam ergo omnia sunt nostra, fiamus nos Christi, sicut Christus est Dei.

IV.

Sic nos existiment homines, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei; nolite igitur vocari in nomine cujusdam ex nobis, aut ex aliis.

Sic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.

Mihi autem id quoque *pro opprobrio est, ut a vobis judicar,* aut unquam ab hominis filio.

Verum quamvis sciam, quod ego nullatenus a vobis accusor, neque in ulla re spiritus meus me reprehendat; attamen *non in hoc*, quia mens mea me nequaquam reprehendit, jam *justificatus sum*: haud enim mens mea est meus judex, quum, *qui judicat me, Dominus sit.*

Quum autem ille justificet me in conscientia aut scrupulo de his, *itaque nolite ante tempus judicare* me, *quoad-*

usque veniat Dominus: qui et illuminabit abscondita in secreto facta, *et manifestabit consilia cordium*; *et tunc laus erit unicuique* revelata *a Deo* judice.

Hæc transfiguravi in me, et Apollo propter vos ut a nobis discatis, quemadmodum nos, ita et vos, *ne supra quam scriptum est* intelligatis ; idest, ne gloriemini in sapientia vestra ; scriptum enim est de ea stultitiam illa esse apud Deum ; neque *unus adversus alium* in ista, neve in cæteris rebus infletur.

Quis enim est, qui discernat istud, quod tu habes, quum tu gratis atque ex gratia acceperis ? Sin autem per donum accepisti, *quid gloriaris*, quasi tuum fuerit ?

Et quid est istud, quod vos accepistis in comparatione illius quod acceperunt Apostoli ? *jam* per exigua dona accepta *saturati estis*, et *divites facti estis*, *et sine nobis*, id est coram nobis *regnatis*. Expedit utique vos cum iisdem regnare, *ut et nos*, illa habentes, *vobiscum regnemus*.

Se iterum Apostolus suosque socios humiliat, ut per humiliationes suas dissiparet jactantiam qua Corinthii æstuabant. *Puto enim*, inquit *quod Deus nobis Apostolis novissime ostendit* veritatem, *tamquam morti destinatis ; quia* ecce *spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus*, id est, Gentilibus, et Sacerdotibus, et Hebræis.

Nos *stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo :* hoc est, *vos nobiles, nos autem ignobiles*.

Usque in hodiernum tempus et esurimus et sitimus.

Et operamur manibus nostris. Neque per hæc tantum facti sumus eis exemplum, sed aliis quoque operibus nostris.

Blasphemabant nos, nos autem *benedicebamus* illis ; atque omnino tamquam ludibrium expositum huic mundo facti sumus, nosque ad pedes omnium procidimus.

Hæc autem vobis *scribo, non ut confundam vos*, quum

ex adverso jam aguntur apud vos; sed ut nos imitemini tamquam filii.

Scitis enim, quod *per Evangelium ego vos genui.*

Ideo misi ad vos Timotheum, qui vos commonifaciet vias meas: idest, ut referat vobis acta mea, *quæ in Christo sunt.* Ut noscatis, quod sicut ago, ita *in omni Ecclesia et doceo.*

Nam ex vobis *inflati sunt quidam* super se invicem, et putarunt, me *non venturum* neque humiliaturum istos;

Sed *veniam cito, et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem* illorum.

Non enim *in sermone* possidemus *regnum Dei, sed in virtute* patientiæ.

Quid igitur *vultis? in virga veniam ad vos,* in duritie scilicet, *an in humilitate?*

V.

Ecce enim *inter vos fornicatio, et talis, qualis nec inter Gentes,* facta est, superbientibus vobis supra vos invicem, *ita ut* nominatissimus filius *uxorem patris sui habeat.*

Et vos inflati superbitis spiritualibus vestris donis, quæ habetis. Curnam porro non planxistis et *non luctum habuistis* flagellationibus, et jejuniis, *ut tollatur de medio vestrum* aut *opus*, aut operator operis illius?

Congregamini itaque, et ego vobiscum in spiritu, *cum virtute Domini nostri,* qui est in vobis.

Tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. Idest, ut ille ab eis segregetur, et tradatur in manus operum suorum; ut serventur cæteri ab illius perditione. Quod si conversus fuerit, et pœnitentiam egerit, recipiant eum: alioquin eo segregato adhortantur alii, ne illum imitentur.

Non est bona gloratio vestra, nam ad hæc vos perduxit.

Expurgate in vobis fermentum mali, *ut sitis nova conspersio* in Christo, *sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum* non est agnus occisus, sed *immolatus est Christus.*

Itaque epulemur, non in fermento veteri, idest, non in operibus Legis, neque in operibus *malitiæ, sed in azymis justitiæ,* in operibus scilicet justitiae *et veritatis.*

Scripsi vobis in Epistola ista: *Ne commisceamini fornicariis.*

Non utique fornicariis hujus mundi aut avaris; *alioquin* id ipsum esset ac *de mundo exire.*

Sed *si quis frater nominetur, et fornicator fuerit, aut avarus,* aut ejusdem furfuris; cum ejusmodi ne commisceamini.

Quid enim nobis de hominibus mundi *judicare? qui intus sunt, hoc judicate.*

Eos autem, *qui foris sunt, Deus* in die sua *judicabit,* et tollet malum de medio vestri per operatorem malorum, qui de medio vestri segregatur.

VI.

Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, relinquere sanctos, et *judicari* coram filiis mundi avaris?

An nescitis quoniam sancti mundum judicabunt? idest, quoniam per eos hic mundus judicabitur. *Et si in vobis judicabitur mundus* universus, nonne digni eritis qui exigua judicia judicemini?

Aut *nescitis, quoniam Angelos judicamus?* De sociis suis Apostolis loquitur, qui judicant Sacerdotes, Angelos nuncupatos. Si magna judicia futura tradita nobis sunt, quanto magis terrena judicia hujus mundi?

Sæcularia igitur judicia si in vobis *habueritis, contemptibiles* de populo constituite ad judicandum.

Ad verecundiam vestram hoc dixi, vocans vos ad con-

temptibilium judicium. Cur, qui *sapiens* est *inter vos*, non discernit jus *inter fratrem*, et proximum *suum?* unde abstinerent illi, ne adirent judicari *apud infideles.*

Jam quidem omnino veluti quædam turpitudinis vilitas *est in vobis, quod judicia habetis inter vos.* Nam sive injuriam accipiatis, sicut mandatum est vobis; sive quum vos offenderint, dimittatis, sicut prædicatum est vobis, haud quidem in judicium intraretis ad invicem.

An nescitis, quia avari, et fornicarii, quique hisce similia agunt, *regnum Dei non possidebunt?*

Et vos tales olim *quidam fuistis: sed abluti estis, sanctificati estis, et justificati estis;* ne igitur hæc iterum in vobis renoventur.

Omnia mihi licent ad manducandum; sed nemo propter cibos dominetur mei.

Esca propter ventrem statuta est, et venter vult vesci. *Deus autem* escam, et cupidinem ventri *destruet.* Item et *corpus* destinatum fuit *non ad fornicationem, sed ad Dominum,* ut habitet in eo; *et Dominus ad corpus,* ut sanctificet illud, et habitet in eo.

Deus vero qui *Dominum* a mortuis *suscitavit, nos quoque* cum eo *suscitabit per virtutem* suam, idest per Christum suum.

Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi, quæ ipse redemit, et in quibus habitavit? *Tollens ergo membra,* in quibus Christus habitavit, in tristitia faciemus corpus fornicationis?

An nescitis, quoniam unum corpus dicti sunt [1] in Lege: Erunt unum corpus.

Quoniam quum *adhæremus Domino* nostro, *unus spiritus* fimus.

Fugiamus fornicationem. *Omne peccatum quodcumque*

1. Subintellige: *Coëuntes.*

fecerit homo, etsi sub morte secunda subjiciat eum, est tamen *extra corpus ejus.* Qui enim occidit, et furatur, minime quidem per occisionem vel furtum commiscetur *(huic, vel illis).* Qui autem fornicatur, haud tantum illius mens commiscetur mulieri sibi occurrenti, verum etiam corpus ejus : quapropter dictum fuit : *Erunt duo in carne una. Qui ergo fornicatur, in corpus suum peccat;* illud enim, qui paulo antea membrum erat Christi, per fornicationem efficitur membrum fornicationis.

An nescitis hoc, *quoniam corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui habitat in vobis?* Porro quia dixerat, an nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? adjiciens adhuc dixit : An nescitis, quoniam corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui habitat in vobis? ut nimirum ostenderet, quod Trinitatis domicilium et habitaculum facti sunt homines. Hoc autem illud est, quod dixerat Dominus noster : *Qui diligit me, mandata mea servabit, et Pater meus diliget eum; et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* ([1]).

Quum servaveritis, inquit, corpora vestra ab omni immunditia, *glorificate Deum*, qui habitat in corporibus vestris.

VII.

Post hæc locutus est ille de virginitate, quæ super omnia excelsior est, quippe quia leges non dominantur ejus. Videns enim ille, quod de ea prædicaverat Dominus suus, verebatur prædicare eam et ipse. Verum quum vidisset homines eam quærentes, factus est ipse consiliarius eorum, non præceptor; hortator, non legislator.

1. Johan. 14. 23.

De quibus autem vos (inquit) *scripsistis mihi; Bonum est homini mulierem non tangere*; quemadmodum et vos dixistis :

Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat.

Utinam nullatenus frauderetis invicem, *nisi forte ex consensu ad tempus,* ad vota implenda jejuniis et orationibus; nam per dies solemnes continetis, *ne tentet vos satanas.*

Hoc autem dico indulgens, non imperans.

Volo enim omnem hominem esse sicut meipsum. Sine mandato hæc eligebat. Sed gratia unicuique data est a Deo. Idem ipsum Domini sui effatum rursus protulit, quod nempe non omnis homo ad hoc satis est. Dixit porro, *alius quidem sic, alius vero sic;* quoniam alius sic est, et in hoc potest justificari, et alius alio modo, quum datum sit illi regnare.

Non nuptis autem, sive uxore carentibus, iis nimirum qui vidici, aut quæ viduæ sunt, *bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego.*

Quod si non se continent, illi quoque *nubant. Melius est enim* secundo *nubere, quam uri* cupidine.

Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipit Dominus ipse, *uxorem a viro non discedere.*

Quod si discesserit, manere innuptam, si puritatem sibi elegerit; *aut viro suo reconciliari,* non autem alteri tradi.

Si quis uxorem habeat idololatram, et uxori placet habitare cum viro suo, habitet.

Et si qua mulier habeat virum infidelem, et huic placet vivere cum uxore, habitet.

Quod si putaverit vir fidelis inquinatum iri matrimonium suum per infidelem consortem, sciat, quod sanctum est semen viri infidelis in utero mulieris fidelis; similiter

et fœtus mulieris infidelis sanctificatus est ratione viri fidelis. Sin autem id, quod dixi, ita non esset, ergo *filii eorum* juxta mentes illorum *immundi essent: nunc autem* adhuc *sancti sunt*, si permanserint in fide, quam tradidi illis.

Quod si infidelis velit discedere ab ipso fideli, *discedat;* nihil enim necessitas periculi est fideli in hoc.

Unde scit vir fidelis, si mulierem infidelem salvam faciet? aut unde scit mulier, si virum idololatram ad *(fidei)* tirocinium perducet?

Sed *unusquisque*, *sicut vocavit Deus,* idest sicut inventus est ipse, quando vocatus est ad ejus Evangelium, *sic* etiam *maneat:* quod enim vobis dico, omnibus quoque Ecclesiis præcipio.

Si *circumcisus aliquis vocatus est,* minime pœniteat se, quod non sit in præputio. Si autem similiter *in præputio aliquis vocatus sit, non circumcidatur.*

Nam *circumcisio* ista, *et præputium nihil sunt; sed observatio mandatorum Dei.*

Item si *servus vocatus es, non sit tibi curæ. Si potes* etiam *fieri liber*, et exire ac prædicare Evangelium, et pati persecutionem pro illo; id tibi expediet, liber esto.

Qui enim in Domino vocatus est servus, *libertus est* ille ex ipso baptismo, *Domini* nostri: *qui* autem *liber vocatus est,* ipse per humilitatem *servus est Christi.*

Quoniam ergo æqualia hæc sunt, propterea dixi, quod *unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.*

De virginibus autem præceptum aliquod a Deo *non habeo.* Sed *consilium* quoddam *do, tamquam* vir quidam, qui *misericordiam consecutus* a Deo, dignus factus sum, *ut sim fidelis* huic Evangelio.

Ego sic existimo melius esse, idest leve facileque, propter periculum mundi:

Si uxorem duxisti, non peccasti. Tribulationem tamen id nominavit eo quod necessitas periculi fit illis carnaliter. *Ego autem,* fratres, *vobis parco.*

Nam *tempus,* idest vel finis, vel dies finis nostri *abbreviatum* ac perventum *est.* Propterea *et qui habent uxores, tamquam non habentes sint.*

Et qui flent, qui nimirum tristes sunt, *tamquam non flentes* sint : et qui deliciis fruuntur, tamquam non ad placitum luxuriose.

Si quis habeat virginem, et postquam ad tempus, quantumcumque fuerit, in voto suo permanserit, noverit autem se non sufficere ; ne propter transactum tempus eum pudeat.

Qui autem *statuit* in animo suo, et nullum ei adsit cupiditatis periculum ad revertendum, idque elegit *in corde suo, servare virginem suam, bene facit.*

Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam , bene facit ; et qui non jungit, seque continet se, *melius facit.*

VIII.

De iis autem quæ dæmonibus sacrificantur, scimus, quia omnes nos *scientiam habemus.* Quamvis autem hæc *scientia* eos *inflet,* qui illuc exeunt ad manducandum, *charitas* tamen quæ parcit proximis suis, illuc non exit; hæcque *ædificat.*

Si quis autem præsumpserit se aliquid scire, nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire ; plurima enim sunt, quæ nescivit.

Qui tamen amat auxiliari *(proximis),* ille novit.

De escis autem idolorum scimus, quia nihil est idolum in mundo, et, inter omnes, qui nominantur Dii, *nullus est* alius *Deus nisi unus* solus.

Nam etsi sunt quædam cultu honorata *in cœlo, aut in terra*, ut jam dixi, quia in cœlo sol et luna vocantur Dii, et alii quoque in terra,

Nobis tamen unus est Deus Pater, ex quo omnia facta sunt; *et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia* facta sunt.

Sed non in omnibus est scientia hujus rei, quam dixi. Sunt enim nonnulli simplices inter fideles, qui exeunt ad manducandum in domo idoli; quia fideles, præsules ac magistros aspiciunt illuc adire, atque ob suæ mentis infirmitatem existimantur immundi; siquidem arbitrabantur, istud, quod hic manducamus, *quasi idolothytum* esse.

Videte itaque, ait, et cavete, *ne forte hæc licentia*, quam vos habetis, sive omnia manducando, sive non continendo vos ab ingressu in iis locis, *offendiculum fiat infirmis.*

Si enim aliquis ex fratribus infirmus erit mente sua, et *viderit te, qui habes scientiam, ibidem recumbentem*, atque desiderio actus fictæ speciei immolati *ad manducandum idolothytum*,

Ecce periit insons, propter *quem Christus mortuus est.*

Ne perducatis igitur ad peccatum fratres vestros, neque eos percutiatis, idest ne flectere faciatis illos *per conscientiam eorum infirmam.* Nolite ergo leve quoddam existimare hoc, quoniam *in Christum peccatis*, nisi caute observaveritis fratres vestros.

Porro *si propter escam*, quæ abjicitur in loca sordida, *scandalizatur frater meus*, non a carne dumtaxat, quæ per paucos dies manducatur in domo idoli, me abstinebo, sed *nunquam* omnino *manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

IX.

An *non sum liber*, quia ventris servituti non servio? Aut *non sum Apostolus*, si sanctificavero et manducavero, sicut vos, omnia? *Nonne Christum Jesum* ego *vidi?* Quoniam propter hæc apprime fortificat me. *Nonne opus meum*, et conatus *vos estis in Domino* meo, si hæc vobis præcepero?

Porro *etsi aliis*, qui non viderunt virtutes meas, *non sum Apostolus, sed tamen vobis*, qui per me accepistis Spiritus dona, Apostolus *sum. Et signaculum Apostolatus mei vos estis* per linguarum locutionem, quam per Spiritum accepistis.

Fortassis, quum majoribus Apostolorum donis digni sumus effecti, *non habemus potestatem manducandi et bibendi*, sicut et *(cæteri)* Apostoli, qui manducant, et bibunt?

Apologiam cœpit ille facere pro se, sociisque suis, dicens: *Quis militat suis stipendiis unquam?* et cætera.

Et *in Lege*, ait, *scriptum est: Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de* solis *bobus cura est Deo*, de nobis autem minime?

Sed patet symbolum nostrum præfigurasse in ipsis bobus, quum jam præveniens curam de bobus gessit.

Non ergo magnum quodpiam est hoc, quod nos a vobis *carnalia metamus*, qui *vobis spiritualia seminavimus?*

Ipsi quoque, qui in idolio operantur, de domo illa edunt; et qui altaris in Jerusalem ministri sunt, *cum altari participant.*

Et Dominus noster ordinavit, dicens, ut qui Evangelium suum prædicant in populo et in gentibus, de Evangelio ipso vivant. Istud est, quod dixit: De domo illa manducatis; dignus est operarius cibo suo.

Ego autem etsi hæc omnia habeam exemplorum sym-

bola, nullo tamen horum laborare vos feci. *Bonum enim est mihi magis* a fame *mori*, *quam ut gloriam meam* hanc, quam gratis ego evangelizo, *quis evacuet.*

Imo quod evangelizo ego, non est gratia quædam mea, aut mihi gloria; idest, non in mea voluntate est, sed necessitas incumbit mihi ejus, qui misit me: *væ mihi est* a judicio ejus, *si non evangelizavero.*

Si enim volens hoc egissem, mercedem habuissem propter bonam voluntatem in me habitam. Si dispensationi ego fidelis fui, quid mercedis est mihi, si per mercedem reddo dispensationem creditam?

Nam cum liber essem ex his *omnibus, omnium me servum feci, ut* pro hæreditate *hæredes lucrifacerem.*

Cum Judæis initiatus intravi in templum, *ut Judæos lucrarer.*

Cum *illis, qui sub lege erant* rasus sum, *ut illos lucrifacerem.* Et cum *illis*, *qui sine lege erant*, cum Atheniensibus, factus sum in tempore quo ingressus ambulabam inter delubra eorum, *tamquam* quidam *sine lege, ut lucrifacerem eos.*

Cum infirmis, qui offenduntur et cadunt, infirmabar, ut istos lucrifacerem. Illud est, quod dicit: *Quis est qui infirmetur, et ego non urer?* Aut quis est, qui offendatur, et ego non tabescam?

Hæc autem facio, ut per hæc omnia particeps efficiar Evangelii Christi, cui placuit velle vitam omnium hominum.

Nescitis, *quod ii, qui in stadio,* Olympico videlicet, *currunt,* etsi multi sint qui currunt, unus tamen post alterum manet, quoadusque uni dumtaxat conferatur bravium.

Unusquisque autem eorum ibidem currentium *ab omnibus* malis rebus *se abstinet*, *ut caducam* et *corruptibilem coronam accipiat.* Quanto magis oportet, ut amplificatur augeaturque

cursus nostros, atque nosmetipsos præservamus ab omnibus rebus malis? quoniam propter coronam, quæ non transit, neque corrumpitur, currimus.

Ego igitur sic curro, non quasi in incertum, sicut ille qui nescit quare dimicet; ne forte debellatio ei obveniat pro victoria expectata: *Sic pugno, non quasi aerem* frustra *verberans.*

Sed castigo corpus meum jejuniis, et subigo in obedientiam vigiliis; *ne forte cum aliis prædicaverim* regnum cœli, *ipse reprobus inveniar* ab illo regno.

X.

Præterea aggreditur ille demonstrare, quod in transfretatione eorum per mare, rebusque factis ei in deserto mysteria Domini nostri delineabantur. *Patres nostri,* ait, *omnes sub nube fuerunt;*

Et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, et in mari.

Et manna *escam spiritalem, manducaverunt.*

Et potum spiritalem a petra illa scaturientem per virgam, *bibebant.* Verum *petra* per sua symbola *erat Christus* ipse. Itaque statuit ille Mare pro typo Baptismi; nubes autem, quæ exparsa obumbrabat eos, typus erat manus sacerdotis. Quemadmodum autem post baptismum accedit homo ad Corpus et Sanguinem *(Christi),* populi quoque *(Judæi)* dum baptizati sunt in symbolo, ac manna deinde manducarunt spiritale, ac biberunt aquam spiritalem; spiritales vocati sunt propter manna ab excelso descendens. Item et aquæ quæ noviter ac mirifice ab illa petra scatebant. Ideo autem Petram illam Christum appellavit, quoniam ad petræ exemplum laceratum est latus Domini nostri, indeque manarunt sanguis et aqua; sanguis quidem in propitiationem, et in potum omnium Gentium.

Verum hæc omnia facta sunt eis, non quasi in multitudine eorum requieverit voluntas Dei ; nam eo tempore quo hæc symbola præfigurabantur, *prostrati sunt* manifesta morte *in* ipso *deserto ;* sed ut vel per ipsam eorum prostrationem nobis fierent illi in typum exempli : *ut nos non simus concupiscentes malorum, sicut et illi.*

Neque fornicemur.

Neque tentemus Christum, ad imitationem eorum.

Hœc autem omnia in figura contingebant illis : scripta sunt autem ad correptionem nostram.

Itaque, qui præsumens *existimat se* firmum *stare*, caveat peccatum, *ne* et ipse *cadat.*

Fidelis autem Deus est, qui non mittet in vos tentationem *supra id quod potestis :* idest, non protrahi tentationem super infirmitatem nostram, *sed faciet* protinus *cum tentatione* vestra *proventum, ut possitis sustinere.*

Postquam hæc præcepisset, procedit ad improbandos reprehendendosque prudenter illos, qui cum patribus ac fratribus suis ad domus Ethnicorum profecti, epulabantur, *Fugite,* inquiens, *ab idolorum cultura,* designans locum, ubi colebantur dæmonii ; ne forte, illuc vobis ascendentibus, participes sitis dæmonibus ibidem adoratis.

Vos ipsi judicate, quod dico.

Nam sicut per unum corpus, quod accipimus, unum corpus efficimur omnes, sic et vos per unum cibum, quem ibi manducatis, unum fitis.

Una cum exemplo spiritus, quod adduxi vobis, aliud vobis do exemplum corporale. *Videte Israel* carnaliter: *qui enim edunt hostias,* hi *participes sunt altaris.*

Non utique dicimus, *quod idolum sit aliquid ;* ego enim scio, quod *quœ immolant Gentes, dœmoniis immolant.* Propterea admoneo vos cavere ab his, quoniam participatio

vestra cum dæmoniis a participatione Domini nostri vos arcet. *Non* enim *potestis de calice Domini bibere, et de calice dæmoniorum.*

Nec edere de mensa Domini, et *de mensa dæmoniorum.*

An æmulationem aliquam ei adjicitis per hoc? anne *fortiores illo sumus,* ut id non exigat a nobis?

Etsi *omnia liceant* propter libertatem, *sed non omnia* quæ licent, expediunt proximis nostris.

Haud commodum nostrum dumtaxat quæramus, sed etiam proximorum.

Omne, quod in macello venit, manducate; solummodo ad altare dæmoniorum nolite accedere. *Propter conscientiam non interrogate* circa id, quod invenitis in venatu; conscientiam dico non interrogatorum, sed interrogantium.

Si quis infidelium vocat vos ad cœnam, *et vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate* ob famem, *nihil interrogantes propter conscientiam,* ne infirmetur *(conscientia).*

Si quis autem dixerit, hoc immolatum est; nolite manducare propter illum, qui indicavit.

Domini est enim *terra cum plenitudine* sua. Etsi hic nemo det vobis, alibi tamen vobis non prohibet.

Propter conscientiam, sive infirmetur, sive non infirmetur.

Conscientiam autem dico non meam, sed alterius. Numquid libertas mea judicabitur ab aliena conscientia? idest: si illi scandalizantur, num et ego similis illis fiam?

Si ego gratias agens edo, *quid blasphemor pro eo, quod gratias ago?* Fortassis pseudoapostoli blasphemabant contra eum, quia prædicabat, et nihil ab ullo accipiebat; sicque clausit ostium contra pseudoapostolos, qui oculos suos ad accipiendum solummodo immittebant.

XI.

Imitatores ergo *mei estote, sicut et ego Christi.* Quoniam vos non vidistis Christum, ut ille sit vobis exemplum, nos imitemini; sicut et nos currimus ad imitandum Christum.

Exaltavit eos usque ad superbiam dicens: *Laudo vos, fratres, quod per omnia mei memores estis*; *et sicut tradidi præceptum*, sic *tenetis.*

Caput, inquit, *viri Christus est, caput autem mulieris vir* ejus est, *caput vero Christi,* est *Deus* ejus. Per duo hæc exempla voluit monstrare, sicut corpus illud, quod vocatum est Christus, quatenus ejusdem naturæ cum homine, caput est viri; et sicut vir connaturalis cum muliere, caput est mulieris, sic et caput Filii non est aliena quædem ab illo natura; quia Deus ejusdem naturæ et caput ejus est.

Omnis itaque *vir orans, aut prophetans, velato capite, deturpat caput suum.*

Omnis autem mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput suum. Verum hunc sermonem de mulieribus, quæ erant Romæ, et Corinthi, atque in aliis civitatibus, in quibus quum intrabant in Ecclesiam ad orandum, aliquoties autem ad prophetandum, prophetabant aperto capite, voluit dicere: quod tamen non per impudicitiam aliquam faciebant, qui antiquam consuetudinem sequebantur. Sed voluit Apostolus per hoc, quod dicebat de capite viri, et mulieris, reducere ad tegiminis velum capita mulierum, quæ a diebus sæculorum sine tegmine veli ambulabant capite aperto.

Non est, ait, *creatus vir propter mulierem,* sed sicut omnia propter Adam condita sunt, sic et Heva propter Adam creata est.

Ideo debet mulier honorem *habere supra caput propter Angelos*, Sacerdotes scilicet. Quamvis enim alicubi subigat eam ad obediendum, ubique tamen propter sacerdotium sub obedientia ejus est.

Post autem diminuit humiliavitque mulierem, conversus exaltavit caput ejus dicens: *Sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem.* Ecce, inquit, reversa retribuit illa viro per dolorem partus illud, quod debuerat ei pro tempore, quo assumpta fuit ab eo per somnum sine partus dolore.

Si quis autem Græcorum *contentiosus* hisce opponat, dicens, *antiqua consuetudo* hæc est, neque fieri potest ut prætermittatur, *nos*, in partibus nimirum Syriæ, *talem consuetudinem non habemus*, *neque Ecclesiæ Dei,* quæ in aliis partibus conditæ sunt.

Non enim vos *in melius* progressi hac in parte, *sed* per hæc *in deterius* descendentes inclinati estis; nam propter hæc in hujusmodi delationes devenistis.

Præterea *convenientibus vobis* ad concilum vestrum *in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos*; et controversiæ aguntur, *ut et qui probati sunt* ac patientes, *manifesti fiant in vobis.*

Etenim congregabantur illi ad Pascham Feria quinta, hora vespertina, in qua distribuit Dominus noster corpus suum in cœnaculo: et postquam manducassent ac bibissent, deinde frangebant corpus, et assumebant. Quia vero jejunabant quidam eorum, et expectabant patienter socios suos: nonnulli autem haud primi *(advenientes)*, postquam manducassent et bibissent, festinabant sumere corpus, et abire: unde posteriores, qui non manducaverant, pudore afficiabantur nimiaque tristitia: in his ergo illos reprehendit exprobratque, dicens: *Convenientibus vobis in unum* locum

ad diem Domini nostri, *unusquisque suam cœnam prævenit ad manducandum: alii* de vobis *esurientes sunt, alii autem ebrii.*

Quare autem *Ecclesiam Dei contemnitis?* facientes eam tamquam diversorium, *et confunditis* insuper pauperes, qui ob indigentiam ac paupertatem eorum non erant præparati?

Ego quidem tradidi vobis hoc: utcumque *accepi a Domino* meo, *illud tradidi vobis.*

Quamvis enim post cœnam fregerit dederitque eis corpus, et sanguinem suum; non tamen inter famelicos et ebrios distributum est corpus illud; quemadmodum penes vos nunc ministratur.

Sed *quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis,* mortis Domini nostri memores estote. Verum mortem Domini nostri non hacce confusione ac perturbatione convenit commemorare: haud enim quippe, quia per gratiam ille datus est nobis, contumeliis contemptionibusque eum sumus manducaturi.

Etenim quemadmodum, qui non communicat nec participat huic sacramento, non habet vitam; ita *quicumque manducaverit ex hoc pane, et biberit ex calice indigne, reus erit corporis, et sanguinis Domini.* Extenditur hoc etiam super omnes gentes ac sæcula.

Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit.

Ideo inter vos multi sunt *infirmi et imbecilles,* qui percussi sunt in corporibus suis, quoniam audacter accesserunt ad corpus Christi; et multi mortui sunt, quoniam accesserunt ad medicinam vitæ sine timore, et tremore.

Quod si nosmetipsos dijudicaremus, et accederemus ad eum, *non utique judicaremur,* nec damnaremur ab eo.

Sin autem judicamur, a Domino corripimur hic, ut non cum hoc mundo damnemur in fine.

Itaque, fratres, cum convenitis, invicem expectate.

Qui vero *esurit*, et non sustinet expectare sodales suos, *domi manducet; ut non in judicium conveniatis.*

XII.

De spiritualibus autem, nimirum digni facti donis Spiritus, atque afflati sunt, scitote priscam humilitatem vestram; quoniam Gentes eratis, et *muta simulacra* colebatis.

Nam sicut *nemo in Spiritu Dei loquens*, et in nomine Jesu operans miracula Spiritus, *dicit anathema Christo*; ita *nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi Spiritu Sancto.* Quoniam homo, in quo Spiritus dona peraguntur, ille potest voce clamare, ac dicere Dominus est Jesus.

Quamvis, ait, *divisiones gratiarum, ministrationum*, et virtutum sint in vobis; et divisio sit inter gratiam, et gratiam, *idem* tamen est *Spiritus.*

Alii quidem datus est sermo sapientiæ, idest verbum intelligentiæ.

Alteri data est *fides* moriendi pro illa; *alii gratia sanitatum.*

Alii data est virtus fortificandi proximos in tempore tentationis; *alii prophetia*, ut manifestet, et indicet quid futurum sit sequentibus in temporibus: *alii discretio spirituum*, idest bona ordinatio Ecclesiæ; *alii genera linguarum* varia: *aliis* autem *interpretatio* earumdem linguarum.

Hæc autem omnia ab uno eodemque Spiritu sunt, qui distribuit et dat secundum voluntatem suam.

Insuper aggreditur demonstrare hoc per exempla, de corpore accepta. Quamvis omnia hæc dona eadem hora non expediant, singula tamen eorum hora sua valde sunt necessaria. Et quamvis unum altero majus sit, eo quod necessitas muneris illi major est, attamen eodem pacto necessarium est opus quoque ipsius.

Quamvis ergo conspersæ sint gratiæ Spiritus *super Judæos et Gentiles, et servos et liberos; uno* tamen *spiritu potati sumus*; et per ipsum ejus causa facti sumus omnes membra Spiritus.

Nequeunt itaque nobiliora, quæ in nobis sunt (prævalere), nisi recipiant revelationem minoris, quod est in nobis. Quia sicut non potest dicere *caput pedibus: non estis mihi necessarii;* ecce enim sunt in nobis membra, *quæ videntur infirmiora esse*, ipsis tamen necessaria perficiuntur: et alia, *quæ putantur ignobiliora esse*, *his* tamen *honorem abundantiorem* præstare debemus: ita sivè magnum sit donum, sive exiguum, sive nobilis sit homo, in quo peragitur, sive ignobilis, commiscens *Deus temperavit* Ecclesiam, sicut et corpus, deditque ampliorem honorem minori*; ut non sit schisma in ipso corpore* Ecclesiæ: quemadmodum neque in membris corporis schisma quodpiam est.

Sed quia in hoc æmulabantur illi, unus alterum superare studentes, cogitur imminuere eos iisdem rebus, in quibus inflati gloriabantur, et magnificat supra omnia charitatem, quæ a plurimis contempta erat. Si vultis, inquit, æmulari; non in istis minoribus, quæ non sunt vestra, et in quibus circumclusi estis, sed in majoribus, quæ nondum adhuc attigistis. Ego itaque viam *demonstro*, quæ ad vitam ducit, et quæ melior est illa, per quam vos circumducti estis.

XIII.

Quæ gloriatio erit illius, qui per Spiritum accepit ut loqueretur una vel altera lingua? Nam *si linguis hominum loquar, aut Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum* deinceps *velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*. Sicut enim æs, vel cymbalum, sine anima sunt, et aliena ab ipsa

voce ac tono ex iis sonante ; sic et omnis qui loquitur lingua, eo quia nescit, quid loquatur, æri est similis, quia caret sensu vocis.

Adversus autem illos, qui prophetia, scientia, et fide inflati erant, ait: *Et si habuero prophetiam,* non sicut vos, sed *quum noverim mysteria omnia* vobis revelata, daretur mihi præterea omnis scientia pro minimo illo halitu scientiæ vobis datæ; fueritque in me præterea non sicut pusilla fides, quam vos habetis, sed *si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Porro quia erant nonnulli, qui in largitionibus suis, et alii, qui ob tribulationem, quam propter Evangelium sustinebant, gloriabantur supra proximos suos, contra hos quoque dixit: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Istud est, quod dixit Dominus noster: « Nolite coram hominibus tamquam ad aspectum hominum facere dona vestra; alioquin nullam mercedem habetis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est (1) ».

Charitas longanimis est, benigna est; quorum opposita vos ad invicem operamini. *Charitas non æmulatur,* sicut vos.

Charitas non quærit, quod sibi prodest, sed quæ multis prosunt, ut salvi fiant. Si hæc igitur quæ recensui, vix ministrantur in vobis ob charitatis deficientiam, quid proderit vobis gloriatio donorum, in quibus gloriamini?

Insuper dico: *Charitas nunquam excidit,* id est, non destruitur, sicut destruuntur dona vestra, quæ habetis: utique *prophetia,* quam habetis, *evacuabitur;* et *linguæ cessabunt.* Quamvis enim *ex parte cognoscimus,* attamen quantum sciendum est nobis *(in futuro),* novimus.

1. Matth. 6. 1.

Cum autem venerit perfectio, evacuabitur, quod ex parte est. Nam sicut evacuatum est consilium puerilitatis juxta scientiam, quam hodie habes; ita destruenda est scientia hæc nostra juxta illam, quam in futuro adepturi sumus.

Videmus nunc velut *per speculum in ænigmate;* in consummatione autem veritas erit, hoc est *facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte,* sed in consummatione *cognoscam,* non ut cognovi, sed sicut cognovit me Deus per gressus operum meorum.

Itaque præ omnibus donis, in quibus vos gloriamini, *manent fides, spes, charitas.* Magnum enim est credere Deum esse; et sperare quod quis credit; atque diligere mandata ejus, cujus dona speramus.

XIV.

Sectamini charitatem, deinde gratias Spiritus, *magis autem ut prophetetis.*

Qui enim loquitur linguis, Deo loquitur scienti, quod loquitur: nemo enim alius, ne ipse quidem scit, quid loquitur.

Qui autem *prophetat, hominibus loquitur,* qui audiunt, sciuntque, quod *ædificationem, exhortationem et consolationem* loquitur.

Qui loquitur lingua, semetipsum dumtaxat *ædificat,* eo quod novit se dignum factum fuisse donis Spiritus: *qui autem prophetat,* omnem *Ecclesiam Dei ædificat.*

Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare. Nam major est ob lucra sua, *qui prophetat, quam qui loquitur linguis.*

Si enim ego *venero ad vos linguis loquens* alienis ab omnibus vestris, *quid vobis prodero?*

Nonne deinceps ero sicut *tibia* et *cithara sine anima*:

nisi enim *distinctionem* aliquam *sonituum dederint; quomodo scietur id, quod* tuba *canitur, aut quod citharizatur?*

Ita et vos, si dixeritis verbum aliquod in lingua ab hellenismo vestro aliena, *eritis* inde velut *in aëra loquentes,* et non cum hominibus.

Qui ergo *loquitur* lingua, *oret,* ut per græcam linguam Græcorum possit interpretari illud, quod loquitur lingua aliena. Dona enim Spiritus hoc tenore erant, quia uni data erant genera linguarum, et alteri interpretatio linguarum, ut unus opus haberet alterius; ille scilicet qui loquebatur ejus qui interpretabatur; Ecclesia autem utriusque.

Si orem, ait, *lingua, spiritus meus orat*; *mens autem mea sine fructu est*: idest, Spiritus sanctus loquens scit quid loquitur in me, sed mens mea quia nescit, quid loquitur lingua, sine fructu est in illa oratione.

Quapropter non peto per supplicationem, ut sciam linguæ virtutem; sed si *orabo spiritu, orabo et mente.*

Præterea, *si* per linguam, quam tu accepisti, *benedixeris spiritu* tuo, *idiota* alienus a lingua tua, *quomodo potest dicere Amen* in fine benedictionis?

Quamvis tu bene dixeris, proximus tamen tuus nescit dicere quid tu dicas; quare *nec ædificatur.*

Et nostis, quod ego plusquam vos *lingua loquor;* sed ego nullatenus in hoc gloriatus sum.

Sed in populo *volo quinque verba* rite ac cum instructione *loqui,* et alios lucrari, *quam decem millia verborum in lingua* loqui; quum nec gloriosa sint, neque proximos meos lucrer.

Nolite pueri effici sensibus vestris ut post illos curratis; qui innocentes agitant; perfectis nihil prosunt.

In lege scriptum est; *Quoniam in aliena lingua, et labiis alienis loquar populi huic; et nec sic exaudient me, dicit*

Dominus. *Si* ergo propter populum illum datæ sunt linguæ, ut scirent per linguas tempus Evangelii novi, ergo *linguæ nunc in signum sunt non fidelibus*, quales vos estis, *sed infidelibus*, Hebræis videlicet divisis, illis de quibus dictum est : et nec sic exaudiant me, dicit Dominus. *Prophetia autem, non infidelibus, sed fidelibus :* si enim non credunt, quod dicis, quomodo audient quod loqueris ?

Si ergo conveniat universus populus *in unum, et omnes linguis loquantur* simul, idiotæ qui intrant illuc, nonne sicut de Apostolis dixerunt, eos musto plenos inebriatos esse, *dicent* et de nobis, quod insanientes utique sumus ?

Si autem omnes prophetæ sint, et ædificent, *intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur* de errore suo, et *dijudicatur* a malis suis factis.

Atque *occulta cordis ejus manifesta fiunt* per prophetiam, quæ revelat abscondita ejus ; *et ita cadens in faciem adorat*, et dicit: *Vere Deus est in istis* : ipse enim revelavit ea quæ intus in corde erant occulta.

Quum ergo *convenitis* in officium ministerii, aut Unasabbati, qui *scit psalmum*, psallet ; qui *doctrinam habet*, doceat ; et sic deinceps singillatim loquantur omnes ad ædificationem Ecclesiæ.

Sin autem *lingua quis loquitur*, et nemo fuerit, qui interpretetur, taceat in populo ; *sibi autem loquatur* precibus ad Deum fusis.

Prophetæ item duo, aut tres dicant, et cæteri explicent, idest, intelligere faciant populo, quæ prophetæ prophetarunt.

Spiritus enim prophetiæ prophetis obedit ; hoc est : quæ loquebatur ipse propheta, ab alio propheta exponebantur.

Non enim est dissensionis Deus, sed pacis : non scilicet

perturbationis præter ordinem, sed dispositionis secundum ordinem.

Sicut in omnibus Ecclesiis Sanctorum, *mulieres* vestræ *in Ecclesiis taceant*. Dicitur, quod mulier quædam ex ipsis prophetis inter Ecclesiam Corinthiorum loquebatur.

Quare dixit : *Si quis præsumat se prophetam esse, aut spiritualem, cognoscat primum, quæ scripsi vobis, quia Domini sunt mandata.*

Alioquin neque ipse coram Domino nostro cognoscetur.

Itaque æmulamini prophetare, quin prohibeatis illos, qui loquuntur linguis.

Omnia autem honeste, prudenter, *et secundum ordinem facite,* sicut et convenit utique.

XV.

Iterum dixit de resurrectione reviviscentis Domini nostri, qui *visus est Petro, et Duodecim* [1]; *visus est et plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent* usque ad hodiernam diem, quo hæc dicta sunt. Et postquam appauerit *Jacobo*, et *Apostolis omnibus,* videlicet septuaginta duobus, *novissime omnium visus est et mihi,* tamquam vili cuidam inter Apostolos.

Itaque *sive ego,* sive Apostoli omnes *sic prædicamus* de Christo, *quod resurrexit a mortuis. Quomodo* ergo *quidam ex vobis dicunt, quoniam resurrectio mortuorum non est?*

Si autem resurrectio mortuorum non est; quum et crucifixio propter id fuerit : ergo *neque Christus* adhuc *resurrexit.*

Et inanis est fides vestra in Dominum, et *adhuc in iisdem peccatis estis;* non enim propitiationem habuistis ex

---

1. Undecim.

infidelitate vestra; quum sitis sepulti in baptismo cum illo, qui mortuus est, et resurrexit tertia die.

Et, secundum vestrum verbum, *qui dormierunt in Christo* per martyrium, *perierunt* et ipsi, eo quod non est eis resurrectio.

Si vero *in hac tantum* vita persecutionibus subjecta, *in Christo speramus*, ecce vita nostra est *miserabilior omnibus hominibus* qui miseri fuerint in hoc mundo. Quod si hic sumus crucifixi jejuniis, ac persecutionibus, et illic retributionem non invenimus; si id ita foret, manducemus, et bibamus, saltem præsentibus adscissis: siquidem, juxta verba vestra, præter ea quæ hic sunt, nihil aliud sumus recepturi.

Verum *Christus resurrexit a mortuis*, ut primordium fierat resurrectionis omnium mortuorum.

Sicut enim fuit Adam principium mortis omnium viventium, ita fuit Dominus noster principium vitæ omnium mortuorum.

Quamvis autem vivunt illi per vivificationem, unusquisque tamen qualis invenitur, sic et vivit. *Primus Christus*, idest, primum resurrexit Christus: *deinde* resurgunt in adventu ejus *ii, qui sunt Christi.*

Deinde fit *finis, cum tradiderit regnum Deo Patri*; non quod Filius non sit rex, si enim Pater rex est, et Filius, regis filius, rex est; quia Pater erit regni novi caput, ac deinde juxta ordinem rite post Patrem posuit Filium: *quum evacuaverit*, inquiens, *omnes principatus, et potestates et virtutes*; et principes persecutores Evangelii, et virtutes malæ partis invidiæ.

Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos, puta, corporeos et spiritales, *sub pedibus ejus.*

Novissima autem, idest, postmodum et *mors destruetur*

inimica vitæ hominum: *omnia enim subjecit sub pedibus ejus* in fine.

Cum autem dicitur: Omnia subjecta sunt; atque ubi dixit: Omnia mihi tradita sunt a Patre meo; quum dicat, *mihi* tradita sunt, noli intelligere jam non esse data: alioquin falsum reddis tu ipsum dictum: Omne quod Patris est, illud meum est; et aliud: Omne quod meum est, illud tuum est; et quod tuum est, illud meum est. Itaque sic locutus est ad nos carnis causa, non quod ita sit juxta naturam divinitatis Filii:

Cum autem dicit: Subjicientur ei omnia, constat, quod subjecta sunt ei omnia præter illum, *qui subjecit ei omnia.*

Quod si constat, quia subjecit ei omnia, sicut dixisti, o Domine mi Apostole, quomodo dicis: cum subjicientur illi omnia? Sin autem non sunt subjecta ei omnia, quomodo dicis: subjecta sunt ei omnia?

Si ergo subjecta sunt ei omnia, quomodo dicis: *cum subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia?* Quis autem erit ille, qui præsumpserit dicere: Quum subjicientur Filio omnia, tunc revertetur et subjicietur Filius Patri? Ecce enim simili fere modo et a diabolo ipso dictum fuit in monte: « Hæc omnia regna, et gloriam eorum tibi dabo, si procidens humiliter adorabis me ». Enimvero si postquam subjiciantur illi omnia, tunc ipse subjicietur ei; si ita est, inquam, ergo nunc non est subjectus ipse: et quum subjiciantur ei omnia, pro hoc revertetur subjicieturque illi, qui subjecit ei omnia. Porro dum subjiciebat Pater omnia Filio, ipse Filius non poterat subjicere sibi ipsi omnia?

Diabolo satis fuit, ut subjiceret omnes creaturas ob inanem spem; Filius autem non poterat subjicere sibi

omnia? Verum etsi causa horum omnium humilitas sit, haud tamen ita, quasi quum subjiciantur ei omnia, tunc subjicietur et Filius Patri: is qui a principio sæculorum sine mutatione est cum Patre suo per generationem. Nec ita nos non subjecta ei fuisse dicimus omnia; sed subjecta sunt ei omnia, et non sunt subjecta ei. Subjecta sunt utique Divinitati ejus; quamobrem dixit: *Omne quod tuum est, illud meum est;* sed subjicientur carni; quæ ex natura sua subjecta omnino erat, propter autem misericordiam gratiæ ejus subiectricem supernorum et inferiorum eam fecit.

Quum itaque subjicitur Filio hæc libertas rebellis et a Patre, per eum et cum eo subjicitur et Patri, *ut sit Deus omnia in omnibus;* id est: ut sit Deus inter omnia, sicut est ipse et locus omnium; quia nimirum et hodie sic est latenter et in illis qui nolunt; sed in fine in omnibus fiet etiam palam; quoniam in ipso fulgebunt justi sicut sol, aut eo amplius; quantum satis erit natura humana suscipere.

Porro denuo reversus est ad sermonem suum, dicens: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt?* Si enim non resurgunt, quid lucratur qui baptizat eum? cur baptizaretur cum eo in baptismate?

Utquid et nos persecutiones sustinemus, si resurrectio non erit?

Adhæc *Ephesi* bestiis me injecerunt: *quid mihi profuisset,* si esca fuissem bestiarum? si ad resurrectionem illam, ut vos dicitis, non essem adventurus? *Manducemus* ergo, *et bibamus,* dum vivimus, quum vita promissa post caducam istam nobis non sit.

Nolite seduci post illos, qui sic dicunt vobis: nam *corrumpunt* mentes vestras nitidas *mala colloquia* Græcorum.

Dicebant enim : *quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient?* ecce enim corpus eorum jacens jam tritum, et comsumptum est.

Connexuit eis parabolam ex semine, quod in morte sua vivit.

Atque nullatenus simile est semen germini suo ; quia granum unum nudum seminas.

Deus autem induit semini tuo *corpus*, *sicut vult.*

Et quamvis omnia semina germinare faciat, nam *unicuique seminum dat proprium corpus* ; non omnis tamen caro volucrum, et bestiarum, et hominum una est, ut simul veniant ad ipsam resurrectionem : *sed alia* caro est *hominum*, quæ creata fuit per manum Dei, et ipsi promissa est resurrectio ; et *alia* caro est *pecorum*, et *volucrum, ac pescium*, quæ eadem carent.

Aliud corpus est cœlestium, id est operantium opera cœlestia ; et aliud corpus est terrestrium, qui operantur mala in terra : sicut stella stellam superat lumine suo.

Sic cœlestes superant terrenos in ipsa resurrectione mortuorum.

Itaque seminantur corpora *in corruptione*, et *surgunt in incorruptione.*

Seminantur in ignobilitate nuditatis, et *surgent in gloria. Seminantur in infirmitate* mortis, et *surgunt in virtute* resurrectionis.

Seminatur corpus animale, et *surget corpus spiritale* ; idest : seminatur secundum similitudinem Adæ primi, et surget ad similitudinem Adæ spiritualis.

Qualis homo *terrenus*, ille scilicet, qui in operibus terræ confectus est, *tales et terreni : et qualis cœlestis* erat, *tales et* operibus suis *cœlestes* sunt.

Sicut portavimus nos in generationem *imaginem terreni*, parati sumus portare in ipsa resurrectione *imaginem cœlestis.*

Quoniam autem non conveniebant inter se Græcorum sectæ; sicut erant, qui dicebant non esse resurrectionem, sic erant qui ajebant animam non esse; idcirco contra hos quoque dicit: Si anima non est, sicut vos asseritis, sed justitia quæ est in lege; jure quoque vestro testatur resurrectionem esse. Quum ergo huic corpori visibili corruptionem æternam annuntiastis; et quod corruptibile est, possidere incorruptelam non possit: ubi ergo accipient retributionem suam ii, qui cruciarunt seipsos hic propter Deum? ecce enim anima, quæ poterat accipere retributionem, non extat: porro est corpus, quod corruptionis æternæ materiam effecistis.

Itaque, ait, hoc *mysterium est*, quod domesticis patet, non externis; fidelibus istis, qui confitentur resurrectionem, inquam, non vero philosophis, qui negaverunt resurrectionem mortuorum. Omnes dormiemus: hoc autem expedit iis, qui expectabunt adventum. Omnes renovabimur: nam etsi justi resurgunt in renovationem gloriæ, verum et corpora peccatorum renovantur; non enim eodem dolore, ac gaudio suo surgunt. Hoc est quod dicit:

Resurgent mortui *incorrupti, et nos immutabimur.*

Oportet enim mortale hoc corpus induere vitam immortalitatis; *et hoc* corpus *corruptibile* induere gloriam incorruptionis.

Cum autem mortale hoc et corruptibile *induerit immortalitatem,* et incorruptionem, perficietur per id *sermo, qui* de hoc *scriptus est*: *Absorpta est mors in victoria* resurrectionis.

Ubi est mors victoria tua? quæ ab Adamo usque ad hodiernam diem erat. Et *ubi est mors stimulus tuus?* qui initium cæpit ab ille arboris fructu.

Stimulus autem peccati lex, quæ imposita est domui Adæ in ipso paradiso.

Dei autem gratiæ dederunt nobis victoriam post hanc omnem obligationem, non per nos, neque per prophetas salvatores nostros, *sed per Dominum nostrum Jesum Christum.*

XVI.

De collectio autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite.

Ut *per unam sabbati* videlicet, quidquid colligebatur ab universa regione, mittere facerent pauperibus, qui erant in Jerusalem; sicut jussum ei dederant Apostoli.

Ostium autem magnum et necessarium *apertum est* ei Ephesi; vel per homines qui ejus discipuli facti erant, vel per persecutionem, quæ ab inimicis facta est, quoniam surrexerunt in eum, ut eum ibidem ad bestias injicerent.

De domo autem *Stephanæ* vos ipsi nostis, *quoniam primitiæ factæ sunt* mihi in partibus *Achajæ*, sive discipulatu, sive donis suis, quæ dabant portare pauperibus in Jerusalem.

Ut omnia (mea) pro vobis sint, opera mea, et anima mea, et vita mea, quæ in Christo. O charitatem Apostoli erga populum suum! O viscera ejus erga Ethnicos alienos! Pro vita Hebræorum anathema esse a Christo poscebat ipse, et pro vita Gentium opera sua, animam suam, et vitam suam præstat.



AD CORINTHIOS SECUNDA.

Magna ingensque persecutio exorta est contra Evangelium, et tribulationem passi sunt Corinthii pro viribus suis, Apostolus autem supra vires suas. Nihilominus Apostolus, prætermissis tribulationis rebus, quæ circumdederant eum ab Asiaticis, Titum ad consolationem ac confortationem Corinthiorum festinabat mittere. Sed quum iste reversus esset ab illis, eique narrasset eorum patientiam in tribulatione, hilaris ac lætus factus est; scripsitque ad eos de tribulatione eorum per Apollinem: ut per majores tribulationes, quas in eo aspiciebant, leviores redderentur in oculis eorum mediocres, quæ illos circumdederant tribulationes. Præterea scripsit, ut indulgerent veniamque largirentur per hanc secundam Epistolam ei, quem ipse per primam Epistolam ligaverat, quia per cruciatus et per animi compunctionem, quam exhibuit, et per tribulationes quæ Corinthios obsederant, probatus est, non autem est motus aut quassatus, ut a fide deflecteret. Itaque ob compunctionem ejus, et continentiam in persecutione scripsit, ut ei parcerent; haud quidem tamquam eos cogeret, sed veluti postulans ac deprecans.

I.

Paulus Apostolus, non per Jesum Christum, sed *Jesu Christi, per voluntatem Dei,* ut manifestaret familiaritatem, et expelleret alienitatem: *et Thimoteus frater*. Humiliavit seipsum, ut nomen suum cum fratre in Epistola ad Co-

rinthios persecutos scriberet. *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi,* quæ tribulationem sustinuit ; *et Sanctis, qui sunt* in partibus *Achajæ,* qui passi ac persecuti sunt in patientia.

Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, qui dignos vos fecit esse sibi in adoptionem : *et Domino nostro Jesu Christo,* qui vos proximos suos reddidit, suosque fecit cohæredes.

Benedictus est *Deus* Jesu, propter carnem ; *et Pater misericordiarum,* propter adoptionem : veluti in eo, quod superius dixit ; Pax vobis a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo, non autem per Dominum nostrum Jesum Christum, solutum est et hoc, quod ait : *Deus Jesu Christi.*

Qui, inquit, *consolatus est nos in omnibus tribulationibus nostris ;* aut per discipulatum, qui multiplicabatur eis, aut per virtutes ac miracula, quæ perpetrabat per illos. Ut et nos cæteros contribulatos consolemur per verbum, quod a nobis audiunt, et per patientiam tribulationis, quam in nobis aspiciunt, petitionibus illis, idest propter supplicationes, quibus nos oravimus Deum pro vobis, ut sustinere valeretis sicut nos.

Quoniam sicut abundarunt passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat supplicatio nostra ; idest : aperitur porta ad rem, quam petimus.

Si enim *tribulamur, pro vestra consolatione, et salute* tribulamur ; ut nimirum videntes imitemini nos, utque adsit vobis virtus *tolerandi easdem passiones, quas et nos* plusquam vos, *passi sumus.*

Et hæc *spes nostra,* quæ *pro vobis* erat, *firma fuit* : *scimus* enim *quod si socii passionum sumus, sic erimus et consolationis,* consolationem scilicet suscipientes.

Hæc indico vobis, *fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in partibus Asiaticorum, quoniam* supra vires nostras aggravata est super nos *(tribulatio).*

Atque *ipsi in nobismetipsis* ob multa tormenta sententiam mortis adscivimus ; non enim fidebamus *in nobis*, quod possemus tolerare in carne, *sed in Deo*, *qui suscitat mortuos*, idest, quod vivificabit nos a mortuis : quoniam tamquam de mortuis salvos nos fecit, et salvavit, qui de tantis mortibus, quæ insurrexerunt in nos, *nos eripuit* ; et amplius eripiet ab illis, quæ surgent, adjuvantibus orationibus vestris.

Ut ex multiformi illa gratia amplius abundent super nos dona Dei, gratias inquam, non quæ fiunt in nobis propter nos, sed gratiæ illæ, quæ aguntur in nobis propter multos ; ut pro nostris solis multi gratias agant ei, et ille propter nos a multis glorificetur.

Nam gloria nostra non est ab aliis, qui nos non cognoscunt, sed gloria nostra *est testimonium conscientiæ nostræ quod in sanctitate* corporis et animæ nullatenus inquinatæ, atque in justitia, quæ non est personarum acceptione maculata, et *in gratia*, quam super omnes misericorditer diffundebamus ; hisce omnibus, inquam, *conversati sumus in mundo : neque in sapientia carnali* apparuimus, idest, non in hypocrisia, aut humano stratagemmate. Nullibi modis istis apparuimus, eo minus autem ad vos.

Non enim alia scribo vobis, *quam quæ* operata sunt in nobis apud vos ; sed vos testamini, istud ad vos scribimus :

Filium Dei Jesum Christum, *qui per me, et Silvanum et Timotheum prædicatus est vobis.* Non quia simul ingressi sunt Corinthum : *non in Est, et Non*, prædicatus est vobis, *sed in Est,* in verbo scilicet veritatis.

Quoniam *omnes promissiones Dei in illo Est* confirmatæ sunt ; perfectæ sunt nempe, non in mendum abierunt. *Ideo* hoc ipsum omne verum, *idipsum* est *Amen* in nobis ad gloriam Dei ; idest, sequitur glorificationem Dei.

Deus enim est, *qui confirmat nos vobiscum* in charitate, confirmat Christum per nos vobiscum in virtute; *qui unxit,*

Signavitque nos per arrhabonem Spiritus, *quem dedit in cordibus nostris.*

Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis, non veni Corinthum; idest, ob illos defectus, quos vituperavit, et de quibus arguit eos in prima Epistola. Quamvis enim domini *fidei vestræ* non sumus, *cooperatores* tamen *sumus gaudii vestri: nam fide statis,* fide scilicet, quam ego dedi vobis.

II.

Malui statuere in corde meo, *ne iterum in tristitia venirem ad vos.*

Si enim ego consolatio vestra *contristo vos, quis* ergo ille *erit, qui lætificet me,* et vos, *nisi* compunctio, et pœnitentia ejus, *qui contristatus est ex me?*

Et hoc *ipsum* ideo *scripsi vobis in* illa Epistola mea prima, *ut non, quum venero,* contristent me operibus suis malis, quum oporteret illos, lætificare me operibus suis bonis. Confido enim, et scio, *quia meum* hoc *gaudium* de rectis operibus ejus, qui se pœnituit, ejusque sociorum, qui humiliati sunt, *omnium vestrum est.*

Et multa tribulatione me circumdante, *et angustia cordis,* quam habeo super vos, *scripsi* hæc *vobis per multas lacrymas* per Apollinem: *non ut contristem vos;* idest, non ut offendam vos tribulationibus meis, *sed ut sciatis charitatem, quam habeo abundantius in vobis.* Desini namque orare, ut eripiar a tentationibus quæ me circundant; et sollicitus sum de vobis per istam Epistolam ad vos scribendam.

Qui autem contristavit, accipiens uxorem patris sui,

non ipse solus *me contristavit*; ille enim *ex parte* juxta mensuram suam contristavit me. Fortassis propter priscum eorum delictum hic annuit, ut sicut ipse dimisit eis, dimittant et illi delinquenti. *Ut non onerem omnes vos:* aut ne dicam contra omnes vos, aut non oneravi super vos omnes petendo ab omnibus vobis.

Sufficiat illi tali *castigatio*, quam a multis suscepit: convenit vos indulgere huic, quia separatus est a vobis omnibus. Porro *consolamini* eum a luctu, et tristitia, qua affectus est, postquam dereliquimus eum primum: *ne forte abundantiori tristitia,* quæ ipsi fuit, *absorbeatur, qui ejusmodi est;* vel qui similis ei est cruciatu conscientiæ.

Imo et ego *obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem* vestram, quam per multum temporis retraxistis ab eo.

Maxime, quia *scripsi* ad vos pro illo, *ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes* mihi *sitis.* Idest: sicut vos me audistis per primam Epistolam, et sejungentes separastis eum a vobis, nunc etiam audite me et commiscete illum vobiscum.

Si *cui* enim *aliquid donatis*, magis *et ego: nam et ego si* indulgens *donavi* alicui, per petitionem, quam petii a vobis, *propter vos coram Christo* donavi, nimirum propter charitatem Christi.

Verendum enim, ne forte submergatur ille a satana; *non enim ignoramus cogitationes ejus:* quoniam et per multam tristitiam, sicut et per fallacem lætitiam æque novit deperdere mentem.

Quum venissem autem Troadem propter Evangelium Christi, et ostium mihi apertum esset in Domino ad lucrandos auditores;

Non habui perfectam requiem spiritui meo, eo quod

non invenerim Titum fratrem meum: sed vale faciens eis, quos in discipulatum adduxi, *profectus sum in Macedoniam.*

Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo, non revelatione sola, sed quotidianis operationibus suis in nobis: omni hora quodammodo apparet nobis ipse, *et manifestat* per nos *in omni loco odorem suavitatis notitiæ suæ.* Ita ut dum adhuc nos in Asia inter persecutionem degeremus, in Macedonia, et in omni loco fragravit nostri causa suavis odor notitiæ suæ.

Quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt.

Nos enim tamquam ex nobis bonus odor sumus utrique parti: tum iis qui transmutati fecerunt nos sibi *odorem mortis,* quum nos odor vitæ essemus ipsis quoque persecutoribus nostris, at ipsi moriuntur per nos *in mortem*: tum iis, quibus sumus *odor vitæ,* qui veniunt ad discipulatum per nos, et vivunt per nos *in vitam.* Tamquam duorum narium olfactus, sic fragrabat per virtutes et miracula odor Apostolorum, parans eis discipulos, eisque comparans persecutores.

Non enim sumus, sicut et cæteri, pseudoapostoli scilicet, qui commiscent verbum Dei cum mendaciis. Fortasse ipsi, qui scripserunt Πράξεις αὐτῶν *(Acta Apostolorum fictitia),* quæ conscripta sunt mixtim ex veritate, et mendacio. *Sed* nos *ex sinceritate* veritatem, quam a Deo accepimus, *coram Deo, in Christo loquimur.*

III.

Quapropter vos ipsi testes estis, quia non *incipimus iterum nosmetipsos commendare vobis,* aut ab aliis petere *Epistolas ad vos.*

Sed Epistola nostra, prædicatio nimirum nostra *vos* ipsi

estis, tamquam *in cordibus nostris scripta* per scientiam, et in sapientia *lecta* per nos *ab omnibus hominibus.*

Manifestati ac firmati, *quod* vos *epistola estis Christi;* nam operibus vestris tamquam ex medio libri jam prædicatur Christus, qui ministratus est per nos; idest, qui prædicatus fuit per nos. *Scripta* autem *non atramento, aut in tabulis lapideis, sed Spiritu, et in tabulis cordis carnalibus.*

Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum.

Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis; nisi quia datur nobis sapientia a Deo.

Qui dignos *nos fecit ministros* esse *novi testamenti, non* illa Mosaica *littera, sed Spiritu;* idest, quod per operationes Spiritus annuntiatur. *Littera enim occidit* per pœnas in ea scriptas, *Spiritus autem vivificat,* Evangelium videlicet salvos facit per longanimitatem, quæ illis indulgebat.

Quod si ministratio mortis, nam occidebat illa per justitiam suam ; ea nimirum quæ scripta, et ordinata fuit in tabulis lapideis, tantam formidabilem sortita est gloriam, eam videlicet, qua indutus ascendebat, qui illam ferebat;

Quanto *magis ministratio Spiritus erit in gloria,* quum priore sit major?

Nam si ministratio damnationis, puta, quia exigebat debita, *in gloria fuit; quanto magis* florescet *ministerium justitiæ in gloria,* idest ministerium gratiæ?

Nam nec glorificatur glorificatum illud *in hac parte propter excellentiam gloriæ.* Idest, in gloria quam recepturi sunt Apostoli, pro nihilo existimatur gloria illa, quæ data est in descensu legis.

Si enim quod evacuatur ac transit, idest lex, quæ transiit, et Moyses, qui evacuatus est, *per gloriam* apparuit; *quanto magis quod permansurum est* post resurrectionem æternam, abundantius *erit in gloria* æterna.

Habentes igitur nos talem spem de gloria sempiterna, *multa* idcirco *fiducia utimur*; idest sincere ambulamus.

Neque opus habemus apparendi *sicut Moyses, qui ponebat velamen super faciem suam, ut nequirent intendere filii Israel in faciem* Moysis in finem *ejus, quod evacuandum erat.*

Quoniam *obtusi sunt sensus eorum.* Et non potuerunt aspicere mysteria, quæ erant in lege eorum. *Usque in hodiernum enim diem,* quum legunt testamentum antiquum, *idipsum velamen* extensum est inter faciem Moysis, et oculos ipsorum; idem velamen extensum est inter litteram Moysis, et mentes eorum. Et ideo non videtur ab eis, quod per Christum evacuabitur, idest, perficietur;

Sed usque in hodiernum diem, quum legunt Moysen: quoniam vocatum est antiquum testamentum in nomine servi, sicut appellatæ sunt aliæ scripturæ in nomine prophetarum, qui eas prophetarunt. Quia ergo æqualis facta est scriptura Moysis cum scripturis prophetarum sociorum ejus, magnificata est promissio Filii supra promissa prophetarum, et Evangelium Domini supra prædicationem servorum. Quum autem legunt, ait, Moysen, libros videlicet Moysis, obvelata sunt corda eorum velamine abscondito pro velamine manifesto.

Quod auferetur ab oculis eorum, *quum conversi fuerint ad Dominum.* Quemadmodum quando aspiciebat Moyses in Deum, auferebat velamen a facie sua; sic etiam a mente eorum auferetur, quando conversi fuerint, ut crediderint in Dominum.

Dominus enim *Spiritus est* sanctus; idest, non est ille ligatus nec impeditus in uno loco. *Ubi autem Spiritus Domini* est, *ibi est libertas*; idest, ejusdem libertatis est eum invenire in omni loco, ubicumque fuerit Dominus.

Nos vero omnes revelata facie, quæ non est obvelata sicut facies Moysis, *gloriam Dei* absconditam velut in speculo *speculantes, in eamdem imaginem transformamur*, idest expectantes speramus recipere, *a gloria in gloriam;* scilicet a gloria perdita in Paradiso, in gloriam quam recepturi sumus in regno cœlesti, *tamquam a Domini Spiritu*, qui per operationes jam testatur de rebus, de quibus loquimur.

IV.

Ideo habentes nos hanc *administrationem*, quotidie cruciamur propter eam; quoniam *misericordiam consecuti sumus*, ut redeamus denuo in locum, quem perdidimus.

Porro recusamus turpes fallacies, quarum non dominabatur lex, *nec ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei*, sicut pseudiapostoli: *sed in manifestatione, et veritate*, quæ facta est super me in itinere Damasci, *commendamus nosmetipsos*, veritatem scilicet nostram, *ad omnes conscientias hominum* distinctas.

Quoniam non est opertum ab ullo Evangelium nostrum. *Quod si etiam opertum esset, in iis est opertum;*

Quibus deus hujus sæculi, idest Mammona hujus temporis, *excæcavit mentes* eorum, *ut non fulgeat illis lumen Evangelii*, per quod prædicatur *gloria Christi*, passio videlicet Christi, *qui est imago* formæ *Dei*.

Non enim nosmetipsos prædicamus in mundo, *sed Jesum Christum Dominum*, tamquam pro nobis per passiones nostras, et per signa nostra prædicamus, quod servi ejus sumus.

Quoniam Deus, qui dixit die prima creationis: *De tenebris* obvelantibus opera *lux splendeat* expellens, et consumens tenebras, *ipse* erat, qui *illucescebat in cordibus*

nostris, ut illuminaremur scientia nos, qui privati eramus omnibus scientiis, *ad illuminationem,* inquit, *scientiæ gloriæ* non vultus Moysis, sed *faciei Christi.*

Itaque *habemus thesaurum istum* absconditum *in vasis fictilibus;* idest, data sunt nobis hæc dona per corpus Christi: ut abundantia virtutis sit ex Deo, *et non ex nobis:* idest, ut ex ipso sit progressus, et perfectio nostra, non tamquam ex operibus nostris.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: nam propter spem vitæ promissæ minime destituimur, si indigentiam patimur, attamen non hæsitamus; non enim propter aliquod malum dubitamus.

Si *persecutionem patimur,* attamen propter virtutem custodiæ, quæ nobiscum est, *non derelinquimur:* neque a discipulatu nostro derelinquimur, quoniam per id magis ac magis discipulatus noster amplificatur. Si cruciamur attamen non deperdimur; multos enim comperimus.

Semper mortificationem passionis *Domini* nostri *in corpore nostro circumferimus, ut et* immortalis *vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali.*

Ergo mors in nobis prævalet, vita autem in vobis: id est, in nobis prævalet mors manifeste, in vobis autem vita occulte.

Habentes itaque *eundem spiritum fidei,* unum consilium teneamus omnes; *sicut scriptum est: Credidi,* inquit, *quod et locutus sum; et nos credimus, quia et loquimur;* et idipsum, quod nobis creditum fuit, prædicamus.

Scientes, quoniam qui suscitavit Jesum, suscitabit et nos, et constituet, confirmabitque nos cum vobis: aut confirmabit nos, et vos; aut confirmabit Evangelium nostrum in cordibus vestris.

Omnia enim videlicet, quæ facta sunt, propter Gentes

facta sunt, ut pro gratia, quæ fuit in uno populo, et quæ ab uno illo populo glorificabatur, *gratia abundans, ex multorum actione gratiarum abundet in gloriam Dei.*

Propter quod non deficimus persecutionibus externorum, propriisque tribulationibus. *Licet* enim *externa humanitas nostra corrumpatur* jejuniis, et vigiliis, et quotidianis vulneribus in ea inflictis, *interna tamen renovatur de die in diem.*

Nam etsi in præsenti modicum lædamur cruciatibus ac tormentis, verum gloria, quam possessuri sumus, æterna est,

Quoniam nescimus contemplari visibile hoc, quod temporaneum est, sed illud invisibile, quod fruitur in æternum.

V.

Hoc *scimus, quod* istud *terrestre templum habitationis nostræ,* idest corpus nostrum, *dissolvetur; quoniam ædificationem in cœlis habemus*, gloriam videlicet, quam perdidit Adam; quæ *non* est *manu facta,* sicut corpus, neque ad tempus aliquod nobis durabit, sicut apud Adam, sed templum illud est in cœlis, cœleste scilicet, quod permanebit in nobis in sæcula sæculorum.

Et propter hanc habitationem, illud quod amisimus, *superindui cupimus.*

Utinam autem, quum *(istud)* exuamus, idest quum mortui simus, et resurrecti, *non nudi inveniamur,* sicut domus Adæ, quam perdidit.

Nam et qui sumus sub hoc tecto, carne scilicet, *ingemiscimus gravati,* et hic immergimur: *eo quod nolumus expoliari, sed* illud *super* istud *vestiri; ut* nempe in vita nostra induamur gloria, et *absorbeatur, quod mortale est, a vita.*

Et ille qui parat nobis hæc in fine, Deus est, *qui dedit nobis pignus spiritus sui.* Quemadmodum enim digna facta sunt corpora nostra, esse habitaculum Spiritus sui, sic digna ea reddit in fine, quæ et gloriam æternam vestiantur.

Ne ergo contristemur, quia morimur; scimus enim certe, *quoniam dum sumus in* hoc *corpore, peregrinamur a Deo,* a revelatione scilicet Domini nostri;

Per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Idest, quamvis per fidem nostram in eum nobiscum ille sit in occulto, visione tamen occultus est nobis.

Quamobrem *audemus*, et placet nobis magis exire ab hoc corpore, ut introeamus ad Deum etiam per visum.

Et ideo contendimus, ut sive exeamus, sive intremus, *placeamus* tantum *illi;* operibus nimirum, quæ in vita operamur, atque passione martyrii, quod nobis in exitu nostro perficitur. Erant enim quidam, qui dum Apostoli miracula perpetrabant ad eos accedebant et confitebantur; tempore autem passionis, ac cruciatus eorum timebant, et fugiebant ab eis.

Hæc autem scribentes ad vos, *non nosmetipsos commendamus vobis, sed occasionem aliquam damus vobis gloriandi pro nobis, ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur,* idest per manifesta gloriantur, eo quod procul erant ab operibus occultis.

Si enim *mente excedimus,* id ad Deum pertinet: si firmi stamus in mente, id vobis. Hoc est, si cruciamur, hoc lætificet divinitatem, quæ lætatur propter passiones: sin autem signis prævalemus, id lætificet innocentiam vestram, quæ gaudet de virtutibus.

Charitas enim Christi, qui mortuus est propter vos, *urget nos* cogitare hoc, quod sicut Deus pro multis mortuus est,

Multi autem, qui servati sunt a manifesta morte, moriuntur ipsis cupiditatibus, et propter Evangelium novum: ut per humanam mortem suam rependant Filio, *ei, qui pro ipsis, mortuus est, et resurrexit.*

Ut autem occludat ostium contra pseudochristos venturos, dixit: *Itaque nos ex hoc neminem* omnino *novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem, Christum* noscebamus: *sed nunc jam,* si veniat, *non novimus* eum Christum.

Ipse enim statuit in nobis verbum reconciliationis, atque ut *pro Christo legatione fungamur.* Quoniam fieri nequit, ut iterum de novo veniat ad vos Christus in carne, ecce nos venimus ad vos legati in pace pro Christo. Porro non solum legati sumus reconciliationis, sed etiam intercessores. Sicut autem Christus per nos obsecravit vos, et vos *obsecramus pro Christo* per nos, *reconciliamini Deo.*

Eum enim, qui non noverat peccatum, quia non fecit ille peccatum, *pro vobis peccatum fecit* ipsum, idest crucem fecit carnem ejus; *ut vos essetis* non peccatum, sicut eratis quidem, sed *justitia,* quæ non eratis.

VI.

Quamvis autem obsecravimus vos per nos pro Christo, et Christus per nos obsecravit vos, nunc et nosmetipsi obsecramus vos, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Eos, qui in has omnes passiones venerunt ob amorem vestrum. recipite, et salvi eritis.

Hoc est enim *tempus acceptabile,* de quo prophetæ prophetarunt; et hæc est *dies salutis;* in hac enim ab occulta illa morte servati estis, sicut et Scripturæ prædicarunt.

Nullam autem in aliqua re cuiquam detis offensionem,

ut non blasphemetur ministerium nostrum, evangelizatio scilicet nostra.

Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos in opere, et veritate *sicut Christi ministros.* Oportet enim, esse in nobis patientiam magis, quam quietem quamlibet externam corporis nostri, et magisquam mala, quæ abundant in nobis ipsis, *in tribulationibus, in angustiis.*

In carceribus persecutorum, *in seditionibus* principum, *in laboribus* itineris, in prædicatione Evangelii, *in vigiliis* orationis, et *in jejuniis* ciborum,

Et *in castitate* animarum, et *in scientia* veritatis, et *in longanimitate*, et *in suavitate* ad invicem, et *in spiritu* sanctitatis, in operationibus scilicet Spiritus, et *in charitate* sine dubitatione,

Et *in verbo veritatis* ad externos et internos; et *in virtute Dei,* idest per magnum auxilium Dei, *per arma justitiæ a dextris et a sinistris*, puta, ad filios dextri, et ad filios sinistri.

Per gloriam, et ignobilitatem, per signa videlicet, et per persecutiones; tamquam per laudem, et per vituperia: per laudem ab amicis, et per vituperia ab inimicis: *Ut seductores* putati, quum *veraces* simus: *Sicut qui ignoti* tempore persecutionis, *et cogniti* tempore signorum.

Quasi morientes in persecutione, *et ecce vivimus* in Domino nostro, *ut castigati* in corruptelis, sed non morte damnati.

Quasi tristes videmur in tempore passionis, sed interius *semper gaudemus: Sicut egentes,* tamquam si nihil esset nostri; *multos autem* per absconditam vitam *locupletamus*: *tamquam nihil habuissemus* in mundo, *et omnia possidemus* per potestatem, quam et in cœlo, et in terra habemus.

Os nostrum patet ad vos, idest os nostrum cum corde nostro *dilatatum est* coram vobis, o Corinthii.

Non augustiamini itaque *in nobis:* sin autem et angustiamini, *in visceribus vestris angustiamini* ad nos diligendos.

Quia porro *tamquam filii* nos amastis, *remunerationem* magnam filii debemus vobis. *Dilatamini* ergo *et vos,* idest, innocentes estote.

Et nolite participes esse eorum, qui scrutantur, sed fidelium. Sicut enim non est *participatio justitiæ cum iniquitate, neque lucis cum tenebris*;

Neque Jesu Christi cum satana; sic *non est pars* nec portio fidelis cum illo, qui detorquet, et non credit.

Propter quod exite de medio eorum, et separamini, sicut dixit Isaias: *et* immunditiam, idest *immundum* ministerium sacrificiorum *ne tetigeritis.*

Et ego recipiam vos qui abjecti, et reprobati fuistis; *et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios, et filias,* pro eo, quod exacerbaverunt me, et invidiam mihi per aliena injecerunt filii prisci.

VII.

Et *has ergo habentes promissiones, charissimi,* ab ipsis Isaiæ diebus, *mundemus nosmetipsos ab omni inquinamento carnis,* idest ab infirmis sacrificiis legis, et præter legem: et perfectos efficiamus spiritus nostros *in sanctificatione,* per Evangelium, quod dedit nobis charitatem Christi.

Indulgete nobis, fratres: non enim vobis dicimus, sed in persona vestra aliis dicimus. Quoniam *neminem* eorum, qui ad vos veniunt, et nos blasphemant, *lædimus,* neque injuria affecimus, neque circumvenimus: id namque propter Evangelium nobis faciunt.

Non autem *ad condemnandos vos* cum illis *dicimus* hæc; *prædiximus enim* superius, *quod in cordibus nostris*

estis ad commoriendum nobiscum a persecutoribus, *et ad convivendum* nobiscum in revelatione Christi.

Multa mihi fiducia est apud vos propter priscam charitatem vestram; et *multa mihi gloriatio pro vobis* propter præsentem patientiam vestram. *Repletus sum consolatione*, et *superabundo gaudio in omni tribulatione nostra,* eo quod adaucta est lætitia mihi facta in auditu patientiæ vestræ.

Nam et quum omnes tribulationes passi simus, et patiamur in Macedonia, *nullam requiem habuit caro nostra*, sed inter omnes tribulationes sicut vos, et plusquam vos inventi sumus: *foris pugnæ*, et *intus timores* ab amicis, ne quis forte offendatur.

Sed Deus, qui consolatur humiles, persecutos scilicet, *consolatus est nos in adventu Titi.* Sollicitudo magna allata est a me, quum admisit ille preces meas, et tradidit seipsum in mortem, veniens in ipso persecutionis ardore, atque corroborans infirmos, qui sint inter vos.

Verum quum venit ille, et retulit nobis, quia deposuistis sollicitudinem personarum vestrarum, ac tribulationum super vos insurgentium, et per charitatem, quam habetis erga nos, in nostro luctu resedetis; his auditis, gaudium magnum fuit mihi in vehementi tribulatione ista, quam ego habeo.

Etsi igitur *contristavi vos in epistola* mea prima, per multam incusationem, qua incusavi quosdam ex vobis, *nihil me pœnituit* de hoc, quod contristavi vos: non enim ullo modo detrimentum passi estis:

Nunc tamen *gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis* ob delictum, quod *ad pœnitentiam* vos reduxit. *Contristati enim estis secundum Deum,* idest propter Deum, *ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis;* ne scilicet pro unius delicto ex nobis patiamini humiliationem.

Quæ enim secundum divinitatem tristitia est, occultam

mortificationem vivificat: *sæculi autem tristitia* vivos mortificat.

Videte itaque, quia *hoc ipsum, quod secundum divinitatem contristavi vos*, pœnitentia videlicet, *quantam in vobis operatur sollicitudinem*, per bonam conversationem, sive apologiam, quam faciebant pro vobis proximi vestri una cum operibus vestris; quod offensi sunt rei inter vos; et timor ac pavor, qui tenuit cæteros eorum causa; et charitas eorum, qui confirmabant illos; et æmulatio eorum, qui minabantur illis, *in omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse*; idest, quia parati ac prompti estis ad Evangelium vitæ.

Igitur, etsi scripsi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est; sed ut hac ratione manifestaretur coram Deo studium obedientiæ vestræ.

Ideo petivimus, vel a Tito, ut veniret ad vos; vel, ut vos reis dimittatis: quoniam in occasione delicti eorum, et contritionis illorum manifestatum fuit coram Deo, studium promptitudinis vestræ. Verum *gavisi sumus super gaudio Titi*, nam attulit ille nobis nuncium victoriæ vestræ, *quia refectus erat spiritus ejus* non a quibusdam a vobis, ut cæteri putabant, *sed ab omnibus vobis.*

Quemadmodum etiam *gloriatus sum* apud eum, antequam venisset ad vos: *sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita et gloriatio nostra quæ de vobis fuit ad Titum*, justa comperta est.

Et quamvis antea diligeret vos Titus, nunc tamen *viscera ejus abundantius in vobis sunt*, quoniam *reminiscitur omnium vestrum obedientiam, cum timore* enim *et tremore*, honorifice *excepistis illum.*

Gaudeo, quod in omnibus confido in vobis; quoniam amicis honorifice obviam pergere scitis, et coram persecutoribus vosmetipsos continere parati estis.

VIII.

Quia autem sollicitus fuit Apostolus perficere verbum, quod mandatum ipsi fuerat a domo Simonis Petri, ut curam gereret sanctorum, eorum videlicet qui persecutione vexabantur, atque baptizatorum, qui erant in Jerusalem, scripsit eis, participes esse eorum benedictionis, admonens illos, quod Macedones cum ista tribulatione, quæ surrexit in eos, ultro *cum multa exhortatione obsecrabant nos, gratiam et communicationem ministerii, quod fit in Sanctos,* dare nobis.

Voluimus nos prætermittere eos, ut tribulationi ac persecutioni propriæ surgenti in ipsos satisfacerent. Illi vero, non sicut de iis putabamus, *sed semetipsos* quoque *dederunt primum Domino, deinde nobis:* Domino, ut moriantur propter eum; et nobis, quia paraverunt id, quod nos eis non misimus.

Ecce ergo rogavimus nos Titum, *ut quemadmodum cœpit in vobis, ita et perficiat.*

Ut quemadmodum venit ille et lætificavit nos per obedientiam vestram, et per gaudium, quod habetis in tribulationibus vestris, iterum veniat, et lætificet nos per manuum largitionem ad pauperes et per largitatem inventam apud vos, ut in omnibus superetis omnem hominem. *Sicut* autem *in omnibus pleni estis fide.* et persecutione, *et omni sollicitudine,* et verbo, et scientia, et charitate nostra erga vos; ita *et in hoc gratia abundetis.*

Non quasi imperans præcipio vobis, *sed per aliorum sollicitudinem,* atque vestram nostramque charitatem, viscera vestra publice volumus videre.

Sicut autem *egenus factus est Dominus noster* a suis

divitiis, *ut illius inopia vos divites essetis,* ita per inopiam sanctorum propter Christum admissam, ditescere potestis.

Quoniam *ab anno priore* voluistis id facere; *nunc perficite* promissum vestrum. Nam *quemadmodum promptitudo voluntatis* est, *ita sit* et facere *ex eo quod habetis.*

Non enim sicut datis, sic tantum accipitis. Quoniam si pauca fuerit data ob paucitatem possessionis, sed tamen voluntas perfecta erit, quæ cupiebat facere, multum reperitur apud vos: neque in pauca dona, quæ habetis in manibus vestris, respicit acceptor. Sed largissimam voluntatem vestram respicit retributor; atque metitur et dat non sicut dedistis, sed sicut dare cupiebatis.

Non quasi vobis tribulationem vellem, et illis remissionem, hæc dico;

Sed quæ *vestra* manifesta *abundantia* est, *illorum inopiam* transitoriam *suppleat*, et *abundantia illorum*, quæ minime transit, *supplebit* occultam *vestram inopiam; ut fiat æqualitas* in omnibus, idest, in occulto, et manifesto;

Sicut fuit in deserto manifesta æqualitas inter colligentes manna.

Verebamur autem hoc, *ne quis* forte *nos vituperat* de abundantia hujus ministerii, *quod ministratur a nobis.*

Providemus enim bona non clam, *coram Deo solo, sed etiam* manifestis rebus nostris, *coram* omnibus *hominibus.*

Quamobrem misimus Titum, qui venerandus, et acceptabilis est vobis. Cum illo misimus et fratrem nostrum, quem etsi vos non cognoscatis, *laus* tamen *ejus in* ipso *Evangelio nuntiatur per omnes Ecclesias,* ipse est Lucas; qui manus impositionem recepit ab Ecclesiis, ut cooperator noster esset *in hanc gratiam, quæ ministratur a nobis.*

Misimus autem et alterum *fratrem nostrum;* cujus etsi vos experimentum non acceperitis, nos tamen multoties

probavimus in multis rebus sollicitudinis, quoniam sollicitus est, et cooperator meus est pro Tito, idest nostras vices supplet ille cum Tito.

Sed non minores quidam videantur illi in oculis vestris, eo quod fratres vocavi illos: Apostoli sunt, non quidem ex Duodecim, sed ex Septuaginta duobus.

Ostensionem ergo charitatis vestræ veram, quam habetis ad nos, *et nostræ gloriæ pro vobis*, quantum credantur, *in illos ostendite*, et per illos palam *in faciem* omnium *Ecclesiarum.*

IX.

Quandoquidem vero gloriatus sum ego inter Macedones, dicens de vobis, *ab anno præterito* paratos esse, *et vestra hæc æmulatio provocavit plurimos*, ut vos imitarentur,

Propterea *misi* ad vos *fratres* ad parandos vos; *ut ne quum venerint Macedones mecum, et invenerint vos imparatos* ad hoc, quod ab anno transacto promisimus paratos vos esse, *erubescamus nos* de gloriatione nostra, qua gloriati sumus pro vobis: *ut non dicam*, quod vos erubescamini in promissione vestra, quam nobis promisistis.

Præparate itaque benedictionem, quam ab anno transacto polliciti estis; *non tamquam avaritiam,* dico, ut adaugeatis, *sed quasi benedictionem.* Verum neque, eo quod dixerim vobis non adaugere, diminuatis.

Qui enim *parce seminat* hic semen istud, nemo ei dabit ut abundanter metat in futura vita. *Qui* autem *seminat in benedictione*, et abundantia, *de benedictione* Dei vitam *metet* in fine consummationis.

Ne quis ergo det velut *ex necessitate* pudoris *in tristitia*, et perdat mercedem suam, et reprobetur: hilariter enim ac liberaliter danti promissa sunt dona, eumque *diligit* et *Deus.*

Porro *ministerium hujus officii non solum ea, quæ desunt sanctis* qui sunt in Jerusalem, *supplet, sed etiam* vos locupletat *per multas gratiarum actiones* coram Deo; *per probationem ministerii hujus*; idest propter dona vestra Deum glorificamus; quoniam in tribulatione hac vestra obeditis curam habere de pauperibus, *propter* nimiam *confessionem vestram in Evangelium Christi*. Et apparet communicatio vestra cum sanctis tamquam vile quoddam et exiguum.

Sed communicatio obsecrationis eorum pro vobis in multa charitate est, idest per diligentiam magnam. Quo facto, pro corporalibus spiritualia accipietis *propter eminentem gratiam Dei in vobis.*

Gratias autem *Deo super donis ejus;* sive pro retributione ejus, sive quia dedit Filium suum pro nobis. Magnum est primum illud, posterius tamen magis ac magis *inenarrabile.*

X.

Quoniam autem erant nonnulli, qui negotiatores fuerant donorum Dei; quia detrahebant ob collectionem impositam a Paulo, sicque dicebant, quod sub sanctorum nomine sibi ipsi cumulat ille, incipit scribere et contra istos, præstans persuasiones et satisfactiones Corinthiis, ne forte qui servati erant a persecutorum apostasia, vulnerarentur a blasphemia pseudoapostolorum.

Obsecro vos, ait, *per* miserationem Dei, et *mansuetudinem Christi,* quam usque in hodiernum tempus videtis in me: qui *in faciem quidem*, idest etsi corpore procul sum a vobis, rogo tamen vos, ut veraciter *in vobis confidem.* Nam si vos non infirmamini verbis blasphematorum nostrorum, *audeam* ego in illos, *qui arbitrantur nos tamquam secundum carnem ambulemus*: hoc est, præter omnia, quibus

calumniantur nos, id quoque dicunt, quod dona illa sibi ipsis colligunt.

Quamvis enim *in carne ambulemus, non* tamen *secundum carnem militamus :* idest, etsi colligamus dona, haud tamen nobis colligimus, sicut illi dicunt.

Nam arma militiæ nostræ, humilitas scilicet nostra et patientia in tentationibus nostris, testificantur de nobis, quia non sumus ex carnalibus, *sed potentia Dei*, qua prævaluimus hisce omnibus resistere. Arma autem militiæ nostræ ipsum Evangelium vocat, per illud enim destruxit omnes gentilitatis munitiones, et dissipavit antiqua idololatriæ consilia,

Et omnem altitudinem, omnes videlicet principatus, *qui extollunt se*, et superbiunt *adversus* novam *scientiam Dei*, quæ per nos jam universis gentibus prædicatur, *in captivitatem redigimus omnem intellectum,* qui ductus fuerit in captivitatem fallaciæ, convertentes eum *in obsequium Christi.*

Et in promptu habemus ulcisci omnem inobedientiam, quæ contempserit id quod sparsum ac impletum est, quo et aures vestræ impletæ fuerunt. Aut quia judicaturi sunt Apostoli tribus Jacob, quoniam audiverunt Evangelium, et non receperunt. Aut in promptu habemus ulcisci eos, qui audiunt blasphemias in nos et tacent, quum debuissent responso in veritate dato adversus blasphematores nostros obturare os eorum.

Videte ergo hominem et hominem per faciem, inter nos videlicet, et inter eos. Nam *si quis confidit sibi, Christi se esse,* saltem sicut seipsum existimet et nos, quia sicut ipse Christi est, ita et nos.

Non glorior apud vos, quod major illis sim per potestatem Apostolatus, *quam dedit mihi Dominus* meus : immo

neque in hac gloriatione erubesco ullo modo: ad ædificandum enim data est mihi, non ad destruendum vos; idest, ut perfectos vos efficiam donis, non autem locupletem peccatis.

Neque scio quidquid in vobis operatum sit per me; quemadmodum gloriantur alii per majora, quæ non habent apud se, et per minora, quæ non habent: *ut non existimer* ab illis *tamquam terrere vos per epistolas* meas; ut timeatis et convertamini ad nos per virtutes, quas fecimus, et per passiones, quæ operatæ sunt in vobis.

Audierat, quia dicebant de eo, quod non secundum verba sua sunt opera ejus, neque secundum oracula sua operationes ejus: ornatu, ajebant, ornatur, et scribit de seipso id quod reapse non habet. Quapropter dicit:

Hoc cogitet, qui ejusmodi est, quia quales videmur verbo per epistolas absentes, tales et præsentes in facto apparebimus.

Non enim audemus præferre aut comparare nosmetipsos quibusdam, qui seipsos ut nobiles *commendant* coram vobis; sed nos humiliamus nosmetipsos ab illo quoque, quod sumus. Quod si comparamur et metimur, cum nobis ipsis comparamur et metimur, idest cum pusillitate nostra.

Neque gloriamur nos, sicut illi, plusquam mensuram nostram; sed gloriamur apud illorum arrogantiam *secundum mensuram regulæ,* in quantum sortiri nos fecit Deus: idest in iis, quibus nos evangelizare dignos Deus effecit.

Non enim, quasi non prædicavissemus vobis, *superextendimus nosmetipsos* ad gloriandum in vobis: *usque ad vos enim pervenimus in Evangelio Christi.*

Neque gloriamur in alienis laboribus, prædicatione videlicet aliorum Evangelistarum; vel non gloriamur apud illos, qui nos non noverunt: sed *spem habemus* in animis nostris, quia crescentem vidimus de die in diem fidem ve-

stram, ita ut iterum *in vobis magnificari* accidat nobis in hoc ipso, et *regula* legis nostræ veniat *in abundantiam.*

Ut datur nobis, et *ultra vos evangelizare*, non iis, quibus evangelizatum fuerit; ne in aliena regula ex aliorum præparatione gloriemur.

Sed qui gloriari voluerit; per prædicationem, quam dedit ei Dominus prædicare inter gentes rebellas, glorietur.

Non enim, qui seipsum commendat verbis, *ille probatus est, sed quem Deus commendat* per opera.

XI.

Melius esset, si indulgeratis modicum in mentibus vestris intelligere hoc, quod ego loquor modicum insipienter, jactabunde videlicet, sed et justum est, ut audiatis me.

Siquidem in eo loquor ego, qui per prædicationem confirmandam locutus est in carne, et mysteriis suis. Sic confirmavi, et *despondi vos* per veritatem sanctam exhibere vos in extrema die constituendo coram Christo.

Sed *timeo*, *ne sicut serpens Hevam seduxit astutia sua*, et seduxit a Deo, *ita corrumpantur sensus vestri* ab ipsis apostolis serpentis, et deflectatis *a simplicitate* sanctitatis, quam in Christo habetis, a veritate scilicet sanctitatis Christi.

Si quis enim *venit* ad vos, et *alium Christum* quemdam *prædicat*, *quem* nos *non prædicavimus* vobis; *aut alium* quemdam *Spiritum accipistis* per eos, *quem non,* dum nos apud vos eramus, *accepistis; aut aliud Evangelium* annuntiant vobis, *quod non recepistis* a nobis, *recte pateremini*, et audiretis verba eorum, qui blasphemant nos.

Sic enim *existimo* de me, quod *nihil minus* dederim vobis, quam quod discipulis suis dant Apostoli meliores me.

Quod *si imperitus* etiam sim *sermone,* sicut dixerant; *sed non scientia;* idest, non tamen veritate et prædicatione

mea : *in omnibus autem manifestati sumus vobis* per verum Evangelium, spiritualiaque dona.

Aut numquid peccatum feci in hoc, quia me ipsum humiliavi, non jactavi, *ut vos exaltemini* humilitate, quam a nobis acquiritis? Aut in hoc fortassis diminutus sum, *quoniam gratis Evangelium Dei prædicavi vobis?*

Aut quia *alias Ecclesias expoliavi*, ut donarem vos alio stipendio, et opus vestrum absolverem?

Quum autem aliquid mihi defuit, *cum essem apud vos*, sicut et vos ipsi testes estis, nulli ex vobis tædio fuimus umquam, aliquid petentes: sed post patientiam meam, *quod mihi deerat, suppleverunt*, non filii civitatis vestræ, sed *fratres, qui venerunt a Macedonia*; isti, inquam, suppleverunt necessitatem meam. Neque in hoc tantum me servavi, ne oneri vobis essem, sed *in omnibus sine onere me vobis servavi, et servabo.*

Est enim *veritas Christi in me*, quæ non mutatur; *quoniam hæc gloriatio* mea usque ad tempus hodiernum *non erit irrita*, non in vestra tantum civitate, sed *in* universis *regionibus Achajæ.*

Hoc autem faciens, numquid non diligam vos, sicut Macedones, quia accepi ab illis?

Sed hoc feci, et faciam usque ad finem consummationis, *ut amputem occasionem eorum, qui* per istos prætextus volunt reprehendere, et maculare nos : *ut* et in hoc, *in quod gloriantur,* quod non accipimus aliquid, quum habeant illi, *inveniantur sicut et nos*, quibus defuit, et non accepimus quidquam.

Nolite itaque seduci post illos propter modicum, quo induti sunt in specie. *Nam ejusmodi pseudoapostoli sunt,* et *operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.*

Quemadmodum et satanas varie *transfiguravit se in*

Angelum lucis, eo tempore quando dixit Domino nostro supra pinnaculum: « Si Filius es Dei, mitte te deorsum; scriptum est enim: Angelis suis mandavit de te ».

Sic transfigurat diversimode ministros suos *velut ministros justitiæ*, quum nec ex duodecim, neque ex septuaginta duobus Apostolis sint illi: *quorum finis* in ipsa fine *erit secundum opera ipsorum*, quæ hîc fecerunt.

Iterum dico, glorior scilicet: sed quia hæc jam non audistis a me, *ne quis me putet insipientem esse,* si vero me putetis insipientem esse, eo quod me non continuerim a gloriatione; *alioquin* saltem *velut* quemdam ex insipientibus *accipite me.*

Nam et ego scio, quia *quod loquor, non loquor* equidem *secundum Dominum, sed quasi in insipientia,* in hoc nempe loco gloriationis.

Quoniam multi venerunt ad vos; et acceptabiles facti sunt aliqui ex nobis.

Quum sitis ipsi sapientes, et obsequamini vestra sapientia, atque auditis libenter gloriationem, qua commendant illi se ipsos apud vos,

Humiliate etiam vos illis, ut amplius illis serviatis. Transfigurati devorant vos; etsi nihil accipiant a vobis, sicut et nonnulli eorum, et omnino accipiunt a vobis. Nonnulli vero extolluntur supra vos tanquam principes, et *in faciem* quidem vos cædunt.

Quoniam itaque hæc omnia, quæ vobis non fecimus, faciant vobis illi propter gloriam vestram, nos quoque infirmi fere fuimus ejusmodi rebus in hoc, ut vos præservemus ab hoc. Quia autem ex ipsis eorum apostolis, qui Hebræi erant, ansam accipit dicendi contra eos, de iis agit, qui in nomine Abrahæ confidentes gloriabantur. *In quo quis audet* libere loqui, *in insipientia* dico, *audeo et ego.*

Si *Hebræi sunt, et ego:* si filii Jacob *Israel* appellati, *et ego;* si *ex* benedicto *semine Abrahæ sunt, et ego.*

Sin autem *ministri Christi sunt*, præter sensum dicam, idest, dicam quod in me est, *plus ego*. Quo autem ego sum plusquam illi, nisi *in laboribus*, et *in vinculis*, et *in plagis*, et *in morte frequenter?*

A Judæis, inquam, *quinquies*, *quadragenas*, *una minus*, *accepi.*

Ter juxta ordinem regum *cæsus sum*; *semel* a civitate *lapidatus sum*; *ter* in mari *naufragium feci*; *nocte*, *et die* de hora ad horam, sine navi *in profundo maris* afflictus *fui*; puta in illo tempore, quo ascendit ille ad urbem Romam;

Periculis in itineribus, *et fluminibus* eo tempore, quo lustrabat remotas regiones ad prædicandum Evangelium. *Periculis latronum*, eorum, qui insidiati sunt, et anathematizarunt seipsos, ne manducarent panem, donec illum occiderent. *Periculis in civitatibus*, Ephesi, Iconi, Antiochiæ, et in cæteris.

Neque hæc tantum, verum etiam *in* studio, et *labore*; quoniam ambulabam per omnes regiones pedes; *in fame*, *et siti*, ob penuriam panis et aquæ, exceptis *jejuniis multis*, quæ voluntaria erant, et *in frigore* itineris, *et nuditate*, ob vestimentorum deficientiam;

Præter cæteras *tribulationes*, quæ quotidie cumulatæ erant super me, insuper *solicitudo* non unius civitatis, uniusve regionis, sed *omnium Ecclesiarum.*

Quis est, qui infirmetur, sicut vos, in mente sua, et ego non contrister pro illis? *Quis scandalizatur* a fide, *et ego non uror*, ut (quæram) quomodo convertam eum?

Si autem *gloriari oportet*; in operibus imbecillitatis, idest, in tentationibus oportet gloriari. Juro ego, et *non mentior.*

Damasci præpositus gentis Aretæ regis totam civitatem perquisivit ad inveniendum me: quum autem non potuerim intus latere, aut per illius portam egredi.

Per fenestram muri effugi manus ejus.

XII.

Gloriari itaque in his ob falsitatem *oporteret,* nobis tamen *non expedit. Veniamus* nihilominus rursum *ad visiones, et revelationes Domini.*

Etsi plurimæ revelationes ei factæ fuerint, potius tamen quam cæteros, illam, quæ facta est super eum in via Damasci, ut pote omnibus manifestam, voluit dicere, eamque non in suo nomine scripsit. *Scio,* inquit, *hominem in Christo ante annos quatuordecim ; sive in corpore* fuerit, *sive extra corpus* fuerit, *nescio:* idest, ea hora, quæ raptus est ille ; quia post revelationem novit, intellectum suum raptum fuisse ; et comites ejus dixerunt corpus ejus nullibi fuisse transmutatum. Raptus est usque ad tertium cœlum, aut ad tertium cœlorum, sicut et Græci dicunt: illud enim est Regnum cœlorum ; non est cœlum. Vel amplius est illud duobus cœlis, sicut Moyses recensuit nobis ; vel cœli, qui facti sunt cum terra, multi sunt, et nobis videntur unum esse. Explicat rem David, quod multa sint, quum dicit : « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum ». Apostolus autem dicit. « Opera manuum tuarum sunt cœli ». Iterum dicit : « Ascendit ille supra omnes cœlos ».

Verba autem ineffabilia, quæ de generatione Filii audivit, dicit. Audivit, et complacuit sibi. Propter hoc enim obstinatus erat, et persequebatur Ecclesias. Atque sacerdotes, et scribæ Judæorum in hoc scandalizabantur, quomodo nempe genuierit Deus: Homo es tu, inquiebant, et te ipsum Deum facis.

Pro hujusmodi rebus, ait, *gloriabor : pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitate.* Nam pseudoapostoli non propriis

rebus sese exornabant; Apostolus autem propria quoque sub aliorum nomine referebat.

Nam etsi voluero gloriari, aliis scilicet revelationibus, nullatenus mendax apparebo; *veritatem enim dicam. Parco autem*, ne, sicut alii existimarunt me Deum per sacrificia, quæ tulerunt, tamquam de Deo cogitent de me, cæteri quoque propter revelationes *supra* id, *quod videt* quis *in me*, aut *aliquid audit ex me.*

Ne autem *extollar ob magnitudinem revelationum*, quas non manifestavi vobis, *datus est mihi stimulus carnis angelus satanæ, qui me colaphzet*, ne superbirem. Stimulus autem vel frigidus erat, sicut nonnulli dicunt, vel Alexander faber erat, ut alii dicunt.

Propter quod ter Dominum rogavi, ut recederet a me, et dixit: Sufficit tibi gratia mea, quæ colaphzat stimulum tuum; *nam virtus* mea *in infirmitate perficitur:* quippe virtus gratiæ in auxilio infirmorum perficitur. Sed in hoc ipso etiam non audiendo exauditus fuit: quia revelatio et de hoc, quod non fuit exauditus, facta est super eum: ut persuaderet ei, quare non fuerit exauditus. *Melius erit mihi gloriari in infirmitate*, idest expectare infirmitatem, *ut inhabitet in me virtus Christi.*

Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, et *in persecutionibus. Cum enim infirmor* in his externis, *tunc prævaleo* in internis.

Proh! *insipiens* etiam *factus sum*, et gloriatus sum; quoniam per obedientiam vestram, qua obedistis vituperantibus, et superbis, *coegistis me* pervenire ad hæc. Oportebat enim vos, dum nos tacebamus, testificari pro nobis coram blasphematoribus nostris. Quoniam in quopiam ex omnibus donis, quæ dantur per Spiritum, nullatenus minus *fui* apud vos *ab iis*, qui sunt meliores Apostoli.

Tametsi nihil sim operibus meis, *signa tamen* Apostolorum operatus sum super *vos.* Et per hæc, quæ extollunt homines, nos *in omni patientia* fuimus apud vos, una simul cum *signis et prodigiis et virtutibus*, quæ operabamur, nullo modo imperabamus; omnibus enim omnino obtemperabamus.

Quid est enim, quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis, nisi tantum, *quod ego* nihil tædii fui vobis; idest, vix passus sum aliquid accipere a vobis?

Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Non enim filii parentibus clam aut palam thesaurizant, *sed parentes filiis.*

Ego autem libentissime impendam, ac impendam, non pro possessionibus vestris, sed *pro animabus vestris.* Quum autem ego hac omni charitate diligo vos, quare *minus diligar* a vobis?

Sed esto, quod ego nihil tædium attuli vobis: fere tamquam homo quidam astutus in prudentia *vos cæpi.*

Numquid per alios, quos misi ad vos, circumveni vos?

Numquid Titus avaritiam aliquam exercuit apud vos eo tempore, quo misi eum ad vos? *nonne eodem spiritu, iisdemque vestigiis* meis ambulavit ille apud vos, ne onus quoddam fuisset cuiquam ex vobis?

Porro hæc, quæ ego facio, et præcipio iis, quos mitto ad vos, *propter ædificationem vestram* ago; ut quidquid videtis in me, Titoque, faciatis, et testificemini de nobis.

Timeo autem, *ne forte cum venero, non quales volo, inveniam vos. Ne forte contentiones, æmulationes, etc.*

Ne iterum, cum venero, humiliet me Deus apud vos: idest, cruciet me Deus propter vos, et inveniar luxisse multos ex iis, *qui ante peccaverunt, et non egerunt pænitentiam.*

XIII.

Iis, qui ante peccaverunt, et cæteris omnibus (dico), ut nunc pœnitentiam agant*; quoniam si venero iterum*, et non inveniam illos pænitentiam egisse, *non* ultra *parcam* illis ;

An experimentum quœritis habere Christi, *qui in vobis non est infirmus? potens* enim *ille est in vobis*, si volueritis invocare eum ad vos adjuvandos in tempore, quando surrexerint in vos cogitationes mali, et carnis cupiditates. Quod autem ipse potens sit in vobis, jam testantur dona Spiritus, quæ data sunt quibusdam ex vobis omnibus.

Nam etsi crucifixus est ex infirmitate propter humanitatem suam, *sed vivit ex virtute Divinitatis* suæ. Et ecce obsignant ac confirmant signa, et miracula, quæ aguntur in nomine ejus. Si autem *nos infirmi sumus in illo* per persecutiones, et contumelias, *vivemus cum eo* per signa, quæ perpetramus in nomine ejus.

Vosmetipsos invicem *tentate, si estis in* eadem *fide,* quam tradidi vobis, et non sitis oberrantes post pseudoapostolos. Atque *ipsi vos probate,* ne forte dubitatio aliqua sit in mente vestra : si enim dubitatis, Christus abscedit et abit a vobis, et *reprobi* comperimini.

Spero autem, quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi, sicut pseudoapostoli arbitrantur de nobis. Ecce enim tormenta nostra contestantur pro veritate nostra, atque manifesta vulnera corporis nostri obsignant, atque confirmant pro occulta fide mentis nostræ.

Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis, ut non appareamus nos tamquam *probati* ; idest, ut nos probemur per vos : *sed ut vos, quod bonum est, faciatis ; nos autem reprobi* videamur. Hoc est, quod dicit :

Gaudemus, quum nos infirmamur, et vos potentes estis; quando scilicet nos persecutionem patimur, et vos in pace statis. Similiter et hoc oramus, ut vos perfecti sitis in verbo, et opere.

Ideo hæc absens scribo, *ut non* quum venero ad vos, *durius agam* vobiscum, *secundum potestatem, quæ data est mihi a Domino* ligandi in cœlo, et in terra.

De cætero, gaudete, quum contristavi vos per epistolam meam primam; et *perfecti estote,* qua parte minus eratis; et consolationem accipite, quoniam lugebatis; et *idem sapite*, quia aberatis ab invicem. *Et Deus dilectionis*, *et pacis erit vobiscum :* ut in eo diligatis illos, quos ob delicta sua rejiciebatis, et alienabatis a vobis. Atque loquamini pacem cum illis, a quibus ob improbitatem eorum sermonem oris vestri prohibueritis.



OBSERVATIO INTERPRETIS

Continuatur in serie, *Tertia* Pauli Epistola *ad Corinthios*, quæ etsi, apud alios inter Apocrypha commemoratur, sed S. Ephræm sine ulla hæsitatione prosequitur enarrare illam quoque tamquam genuinam Apostoli, una cum præmissa Corinthiorum ad eum epistola. Sicut et exemplar harum litterarum communiter adjunctum codicibus Arm. Bibl. reperiuntur. Et quod majoris est momenti, S. Gr. Illuminator noster in libro suo *Hagiachubadum* (hoc est, polyhistorica doctrina), utitur auctoritate hujus tertiæ Epistolæ ad Corinthios: ut videbis in serie citatum. Unde patet, quod hæc epistola jam antiquitus nota Syris et Armenis, fuit apud majores inter apocrypha non rejecta, sed accepta, juxta distinctionem S. Athanasii.

AD CORINTHIOS TERTIA.

Postquam Corinthii consensissent ad invicem per Apostoli epistolam, abjecto schismate quod illico inter se a seipsis generaverant, perturbatores alieni inter eos intrantes perturbaverunt illos. Hi porro per invidiam maligni contra ipsos vigentem, palam prædicavere errorem fallaciæ suæ in plateis, neque eum celabant aut occultabant quibusvis qui illis obviam fierent.

Presbyteri vero Corinthiorium quum vidissent, eos de die in diem extendere ac propagare prædicationem suam, festinarunt scribere atque indicare Apostolo, quæ ii prædicabant, ut vel ipse celeriter veniret, vel ab eo magna diligentia eorum sermones confutarentur atque dissolverentur.

Propter hæc igitur et propter hisce similia litteras scripserunt, atque per duos diligentiores diaconos deportari fecerunt ad Paulum, sic dicentes:

Stephanus, et qui cum eo Presbyteri, ad Paulum Fratrem Dominum salutem.

« Viri quidam duo venerunt Corinthum, Simon nomine » et Cleobius; atque nonnullos ex ipsis fidelibus ad se » convertunt. Verumtamen non verbis veritatis illos convertunt, sed per verba corrupta, quæ verba tu ipse » debes dissolvere. Nos enim nec a te umquam talia » verba audivimus, neque a cæteris Apostolis sociis tuis » quemadmodum ab hisce viris audimus. Tantum scimus, » quod quidquid a te audivimus, et quidquid ab aliis Apo- » stolis, constanter servamus. Nostra quidem tristitia non

» propter nosmetipsos est, sed propter populum. In hoc » tamen valde misertus est nostri Dominus, ut dum ad» huc tu corpore nobiscum es, iterum abs te audiamus per » Epistolam ea, quæ audivimus verbis; aut tu ipse cito » citius ad nos venias. Non credimus in Dominum, quod » aut revelatus est Etheoniæ, teque liberavit Christus a » manibus iniqui illius, misitque ad nos, aut Epistolam » scribes ad nos ».

Porro nomen istud fuit judicis qui fortasse eum ligavit, et carceri tradidit in ipsa Philippensium civitate.

« Verba autem erronea, quæ dicunt ac docent, hu» jusmodi sunt. Non oportet, inquiunt, prophetas admittere, » sed Evangelium. Neque Deum dicunt omnipotentem »; ille videlicet, ajunt, qui locutus est in prophetis, non est Deus omnipotens.

« Nec resurrectionem dicunt carnis, neque hominem » omnino dicunt a Deo creatum », sed a septem rectoribus illis. « Neque, inquiunt, terrestri corpore venit Dominus » noster, sed cœlesti corpore. Neque ex Maria Virgine » volunt ipsum natum esse ». Etenim transeundo transiit, inquiunt, per eam, tamquam si nihil assumpserit ex ea. « Neque mundum creaturam Dei supponunt, sed Angelorum » quorumdam »; ipsorum videlicet septem rectorum.

Verumtamen hæc est doctrina magistrorum domus Bardezani; atque propterea Dezanienses, (sive Bardezanii), non miserunt hanc epistolam in apostolum suum. Jam id dixerat Apostolus in actis Apostolorum: « Post me, cum » ego abiero, intrabunt in vos lupi rapaces, qui non par» cebunt discipulis. Et ex vobis surgent homines loquentes » perversa, ut convertant auditores ad sequendos se ». Ab iis ergo Apostoli diebus, quemadmodum prædixerat ipse Apostolus, et quemadmodum Corinthii scripserunt, fundata est hæc secta.

Nam putant discipuli Bardezani, quod hæc a Bardezano magistro suo adinventa fuerint; atque ab ipsis omnino scriptæ sunt Praxes Αὐτῶν ([1]), ut inter Apostolorum virtutes ac signa, quæ conscripsere, scriberent in nomine Apostolorum iniquitatem, quam prohibebant Apostoli.

Propterea dicunt; « ideo scripsimus nos ad te litteras, » ut properes venire ad nos tu ipse; ut præsentia tua » tuisque verbis sine scandalo maneat civitas ista Corin- » thiorum. Illorum autem dementia per publicam veritatis » prædicationisque tuæ demonstrationem, in conspectu om- » nium cum ignominia rejiciatur ».

Accipientes tulerunt has litteras in civitatem Philippensium. Quoniam vero dies accidit persecutionis Pauli, qui cæsus fuit virgis, atque in carcerem missus, eo quod dæmonium ejiciunt ab ea ancilla, quæ ambulans præstigia operabatur; timuerunt adire ad eum, et litteras ei deferre fecerunt per Apollophanis uxorem ([2]). Verum hæc non est nox illa; nam in illa nocte notus fuit illic, et portæ carceris communiter apertæ sunt, atque vincula ejus absoluta sunt, et eduxit eos illinc custos carceris, et perduxit in domum suam, et obtulerunt litteras.

Quum autem accepisset ille litteras, oblitus est vinculorum et lugens propter verba, quæ audierat, dixit flens: « Quanto melius fuisset mihi, si obiissem, et cum Domino » essem in spe et pace; potius quam post vinculi tolerantiam » propter homines, iterum processissent sacerdotes ([3]) Satanæ » ad perturbandos seducendosque homines, quos ego con- » verto ». Sicque multa afflictione quam ex persecutoribus ac

1. Acta nimirum Apostolorum apocrypha.

2. Cujus nomen erat *Stratonica*. Wistonii legunt *Ononicen*; sed perperam.

3. Alii *machinamenta*.

fallacibus perferebat Paulus, responsum dabat litteris Corinthiorum, in fletum erumpens, et dicens hoc modo :

Paulus vinctus Jesu Christi, scilicet propter Jesum » Christum, *ad Fratres Corinthios ex multa ista angustia*, » quam præfero ex tormentis ac vinculis, et malorum » fama, *salutem*.

« *Ego non adeo miror*, idest, valde miratus sum, *quoniam* » *tam celeriter concurrunt instigationes mali* in mundum. » *Sed Dominus noster Jesus Christus citius faciet adventum* » *suum propterea, quod contemnunt eum* hoc ipso, quia mutant veritatem verborum ejus. *Ego tamen ab initio*, ex quo nempe vos vidi, *ea quæ audivi ab ipsis Apostolis, qui per* » *omnia* Evangelii *tempora*, *cum Domino* nostro *ambulabant*, » *edocui vos*, quod *Jesus Christus ex Maria natus est*, non » autem transiit per eam ; *atque ex semine David*, *non* » vero caro cœlestis : et *secundum annunciationem Spiritus* » *sancti de cælo ad eam missi*, non autem ex Josepho ad » eam accedente. Hoc autem ideo factum est, *ut liberaret* » ex corruptione *omnem carnem per suam carnem*, *utque* » *nos a mortuis suscitaret* in carne, *quemadmodum seipsum* » *ostendit exemplum*.

» Primus *homo a Patre creatus est*, non autem ab iis » rectoribus, sicut hi dictitant. *Propterea etiam in ipsa* » *perditione perquisitus* est per Filium ; non ut percute- » retur ac moreretur per justitiam, quippe qui se perdi- » derat per peccatum, *sed ut vivificaretur* per gratiam, et » dignus efficeretur adoptione. Sed *Deus omnium* mundorum, » idest, omnium sæculorum, ille qui omnipotens est, ille, » *qui fecit cœlum et terram* ; haud quidem Angeli, sicut » prædicant seductores vestri. Ipse *misit primum Prophetas* » *ad Judæos*, *ut per eorum commemorationes liberarentur a* » *peccatis*, atque ab idolorum adoratione. *Volebat enim*

» *liberare domum Israel:* et equidem id testatur studium » per prophetas de iis factum. Ideo donavit *immisitque* » *ex* ipso Christi *Spiritu super prophetas.* Siquidem Spiritus » ille, qui prædicabat per Apostolos, idem et in prophetis » infallibilem Dei cultum, nativitatemque Christi *per multa* » *tempora prædicabat* »: scilicet, per mille quatuor centos et triginta annos ab illo egressu de terra Ægyptiorum; nam usque ad adventum Domini nostri plus vel minus totidem fiunt. « Porro *qui iniquus princeps erat, quum* » *Deus fieri vellet,* aggressus est occidere prophetas admo- » nitores, ut *omnem* hominum *carnem* cupiditate *alligaret* ».

Principem autem eum nuncupavit, quoniam principatum habebat super exercitus sui copiam. Iniquum autem eum appellavit, quoniam non satis ei fuit dæmonum principatus, sed et super homines quoque voluit Deus fieri. Prophetas vero, non per se, sed per suos prophetas occidebat; et per Jezabel et per Achabum, et per reges iis similes interficiebat prophetas, ne veritatem prædicarent, eorumque oculos aperirent, qui lapideis ac ligneis cæterisque fusilibus, quæ ex elementorum natura sunt, Dei nomen tribuebant, neque intelligebant.

Et omnem hominum *carnem,* inquit, per cupiditatem *alligabat.* Attende et vide, quod per cupiditatem vinciebat ille, non autem violentia luctabatur. Non sane una cupiditate ligabat omnes homines, neque multis cupiditatibus unum hominem vinciebat; non est enim talis homo, qui omnibus affligetur, aut omnibus alligetur, sed unumquemque hominum ea cupiditate, quæ ipsi instabat, illum vinciebat: ut in sæculorum tempora non sit ei opus solutionis.

Sed Deus omnipotens per justitiam suam; ejus enim est principatus, non jam rapina illum rapuit, sicut et magistri vestri dictitant; haud æquum duxit, satanas

homines regere, etsi per fraudem illos in peccatum ruere fecisset, non per vim: attamen neque in hoc ei indulsit permisitve: nam misertus est creaturæ suæ, præsertim quia ipsa suis manibus sese interimebat.

Misit Spiritum sanctum fervide, cito citius videlicet, *in Mariam* Galilæam. Quando quidem porro videbatur libertati neminem esse omnino, qui per carnem posset vincere, indutus est Dominus nostra carne, et per eam vicit. Vicerunt et qui post eum imitatores ejus fuere; ut minime foret eis apologia, quia in ea *(carne)* defectores comperiuntur.

At præterea, quoniam caro obedivit hosti, ipseque per eam in omne cupiditatis opus ambulavit, Dominus noster per indutam carnem tentatus fuit in deserto a diabolo. Ex hinc autem convictus est ille, et deprehensus, quod nequiret Deum fieri super mundum: quemadmodum sibi in mente sua persuadebat. Etenim Deum se non esse vel ipse sibi conscius erat; sed omnino existimabat se Deum futurum per victoriam, quam super omnem carnem obtinebat.

Sed quando superavit eum Dominus noster per carnem, non cœlestem, sed ejusdem naturæ, quæ debellata fuerat ab illo, tunc novit, se non fieri Deum, quemadmodum putaverat.

Quoniam *in carne sua*, inquit, *Jesus Christus vocavit et servavit* omnem *carnem; ut justitiæ templum sanctum* in ipsa sua carne ostenderet. Idest, ut operibus carnis suæ indicaret, quomodo fieri potest, ut homo templum fiat justitiæ.

Et nos eadem ipsa carne *liberati sumus* ab occulta et manifesta morte. A morte scilicet peccati, et a morte corporis.

Itaque non sunt ii filii justitiæ. Si enim essent in eis

opera justitiæ, retributionem justitiæ expectarent; non vero carnem suam illa quoque resurrectione privarent.

Ergo *filii* sunt *iræ ii*, *qui viscera misericordiæ Dei,* quæ per resurrectionem facta est, *auferunt a seipsis;* et creationem contemnunt dicentes, *cœlum et terram* universasque creaturas *non esse manufacta Dei Patris universorum*, sed Principum.

Sed ii maledicti illius serpentis fidem habebant. Idest aut sententiam illam propter maledictionem serpentis latam, Terra nempe eras, et in terram converteris; constanter præseferebant illi; aut quemadmodum credidit serpens, et ille qui ipsi serpenti aderat, tamquam si in æternum mansura sit domus Adæ in terra, ita et isti credunt.

At *vos per virtutem* (Dei) *abscedita ab eis*, dissolvite videlicet verba istorum; *et pravam doctrinam eorum a vobis procul ejicite.*

Horum enim doctrina est, non autem Spiritus; atque diaboli est prævalentis in illis, non Dei.

Quod autem dicunt non esse resurrectionem carnis, *eis non erit resurrectio;* non quia resurrectionem ipsam negarunt, sed quia *hujusmodi resurrectionem negasse deprehenduntur*. Atque *vos,* viri *Corinthii;* quid amplius erant *semina tritici*, aut cætera semina, *quæ nuda cadunt in terram,* et corrumpuntur; quam caro, quæ in terram cadit et corrumpitur? Verumtamen sicut *resurgunt* semina *per voluntatem Dei eodem corpore induta*, non cortice, qui descendit cum eis in terram, sed *multiplici fœcunditate* erecta, *benedicta*, atque adornata cortice et calamo et crista, quæ adjungit eis terra;

Similiter resuscitat et voluntas Dei carnem quoque veluti veste indutam et exornatam, non pannis cum ea in terram descendentibus, sed gloria nova mittitur ei de cœlo.

Quid præterea difficilius vobis videtur? Jonam injectum

fuisse *in ventrem piscis per tres dies, et tres noctes :* ac deinde ex interioribus inferis *exaudivisse Deum orationem ejus,* et ereptum fuisse, nihilque corruptum fuisse de carne ejus ; aut carnem, quæ mortem obiit, reviviscere? Quemadmodum et Christus vivificator ejus mortuus est, et revixit.

Quod *si* vel *ossa Elisœi vivificarunt mortuum super ea incidentem ; Quanto magis vos, qui sanguine et carne,* atque Spiritu *Christi fulcimini* per fidem vestram ? idest, humanitate illius quæ mortua est, et divinitate ejus, quæ non moritur. Quoniam descendit charitate sua corporaliter in sepulcrum ; et propterea neque corruptio potita est ejus. Quanto magis vos *illo die resurgetis integro corpore,* quod velut humus in medio terræ dissipatum fuerat ?

Sin autem *aliud quidquam temere* ab eis, aut a venientibus post eos, *admittatis, laborem mihi deinceps nemo facessat ;* quoniam tamquam pueris quotidie vobis scribo ; *ego enim* hæc vincula in me ipso sustineo, ut post resurrectionem Christum lucrifaciam. Vulnera quoque ista acquisivi in corpore meo ex tormentis, lapidatione, et detractione, ut dignus efficiar consequi, quæ e mortuis est, resurrectionem. Præsertim quia isti eam negarunt vobisque dicunt non admittendos esse prophetas. Qui ergo permanserit in regula ordinis, in ipsa scilicet veritate quam suscepit de manibus beatorum prophetarum, atque a sancto Evangelio, mercedem hujus rei, necnon operum suorum in ipsa mortuorum resurrectionem recipiet. Sin autem dubitaverit quisquiam et defecerit ab iis, quæ nos ei tradidimus, ignis est cum eo ; nempe ignis est pars et portio ejus. Neque ejus solius, sed et eorum, qui eodem modo sine Deo in mundo ambulaverunt. Hi enim sunt genimina viperarum et basiliscorum, qui sauciant et occidunt homines in aculeis linguarum suarum. Vos autem properate ad eos virtute divina, auxilio videlicet Dei, prosternendos.

AD GALATAS.

Galatæ auditores Pauli fuere, non ad custodiendam legis observantiam, quæ evacuata est per passionem Crucis; sed ad credendam ipsam Trinitatem, et ad prædicandum novum Evangelium. Quidam vero ex ipsis Hebræis venerunt, non ut eos averterent ab Evangelio ipsis per Paulum prædicato; sed ut eis veteris Testamenti observationes adderent eosque per gratiam, liberatos sub servitutis jugo reducerent. Quoniam autem hi in nomine Simonis *(Petri)* gloriabantur, qui prævalebat in apostolatu circumcisionis, incipit Paulus scribere adversus eos, sic dicens:

I.

Paulus Apostolus non ab hominibus, puta, non a Simone, neque per Simonem, *sed per Jesum Christum,* qui revelatus est mihi in via Damasci, *et* per *Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis;* ut manifestum faceret de resurrectione sua cunctis hæreticis negantibus resurrectionem ejus.

Ecclesiis Galatiæ, tum quæ infirmatæ sunt Hebræorum, tum quæ minime sunt infirmatæ.

Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, qui vocavit vos in adoptionem; *et a Domino nostro Jesu Christo,* non vero per Dominum nostrum Jesum Christum.

Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam, a malis videlicet, quæ perpetrantur in hoc sæculo: *secundum voluntatem Dei Patris nostri;* ut manifestaret de resurrectione gratiæ Patris, et Filii, quæ facta est in mundo.

Miror, quod sic tam cito transferimini, non a me, sed *ab eo, qui vos vocavit* per me in *gratiam suam*, ut abeatis *in aliud Evangelium.*

Etsi enim ego putavi, quod de prædicatione Simonis sit sermo, attamen non est aliud, quoniam impletum est tempus legis, in qua prædicabatur. *Non est aliud*, sive alius Christus, sive alia veritas : homines autem pro lubitu suo *volunt convertere* vos ab illo Evangelio Christi.

Quod si virtutes in illis videte, vel eo quod discipulos Simonis vocaverint seipsos, captivati estis per verba eorum, *si ego ipse* quoque veniens ambulabo inter vos cum alio Evangelio, *aut Angelus*, qui sane non descendit, si tamen propter hoc descendat, ut superaddat, vel diminuat præter id, quod ego dedi vobis, *anathema sit.*

Nolite per circumcisionem adulari præcones circumcisionis. Si enim sacerdotibus, qui me non edocuerunt, placerem, *Christi servus*, sicut me videtis nunc esse, *non* amplius *essem.*

Evangelium itaque hoc, *quod* ego *vobis evangelizavi, non ab hominibus accepi*, sicut novi magistri vestri, offensores videlicet vestri vehementes ; sed revelatio illa, quæ facta est mihi, convertit me ab illa *conversatione* aliquando *mea in judaismo.*

Audistis enim, quoniam supra modum persequebar Ecclesias Dei, destruens et devastans.

Aut *quantum proficiebam in judaismo supra multos coætaneos meos* in rebus legis.

Cum autem voluit Deus, qui elegit me ex utero matris meæ, me non persequi, sed persecutionem pati in Ecclesia Christi, et evangelizare Christum, non in populo, sed in Gentibus.

Non ascendi ego Jerosolymam ad Apostolos, ne

proficiscerer quo me non miserat, *sed abii in Arabiam, et Damascum Gentium.*

Deinde post annos tres veni Jerosolymam, non edoceri Evangelium a Petro, *sed videre Petrum; et mansi apud eum diebus quindecim.*

Nihil renovatum est mihi ab eo, *sed veni* hac eadem prædicatione *in partes Syriæ, et Ciliciæ.*

Eram etiam ignotus Ecclesiis, quæ ab ipsa circumcisione erant *in Christo*: non enim ambulavi illic post revelationem.

Tantum autem auditum habebant, quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc veniens *evangelizat fidem, quam aliquando* aspernabatur et *expugnabat.*

Et in me glorificabant Deum propter nimiam renovationem, quam operatus est in me.

II.

Deinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Jerosolymam,

Non sine mandato, sed per revelationem, ostendens illis coram Tito *Evangelium, quod evangelizavi in Gentibus.* Nam scrupulose verebar propter revelationem, quæ misit me, *ne forte in vacuum cucurrissem* per hanc prædicationem.

Sed *neque Titus, qui ex Gentibus erat,* non vero ex nobis, Jerosolymis suscepit circumcisionem:

Sicut instabant *falsi fratres,* quippe qui volebant humiliare nos a *libertate, quam habemus in Christo,* in servitutem legis.

Quibus neque ad modicum tempus humiliavimus nosmetipsos *in subjectione,* in observatione, inquam, legis; ut imitatores nostri sitis, neque declinetis; *ut veritas Evangelii,* quod prædicavimus vobis, *confirmetur apud vos.*

Qui autem præsumpserint gloriari se aliquid esse,

eo quod observant vetus cum novo, quemadmodum in hoc sensu erant illi; nihil curæ est mihi de illis. *Deus* enim *personam hominum accipere nescit*, eorum qui putant se placere illi, observando legem, et circumcisionem Abrahæ.

Isti quidem obstiterunt mihi: *quum vidissent*, *quod ego fidelis sum Evangelio* inter Gentes sine circumcisione, sicut et Petrus fidelis fuit in convincendis eis per Evangelium circumcisionis.

Qui enim roboravit Petrum in apostolatum circumcisionis, ut nempe doceret circumcisos per hæc, misit me ad docendas Gentes sine his.

Quum autem *cognovissent Petrus* et *Jacobus* et *Johannes* precipui ex Apostolis, qui revera columnæ erant Ecclesiarum, nihil imminuerunt, nihilque addiderunt iis, quæ ego revelabam eis propter prædicationem meam in gentibus; sed *dextram* consensus *dederunt mihi*, *et Barnabæ*, *ut nos* prædicaremus *in Gentes,* sicut et mandatum fuit nobis, *ipsi* autem *in circumcisione*, sicut et præceptum est illis.

Tantum hoc præceperunt nobis, ut curam haberemus pauperum, qui in Gentibus erant; quod et faciebamus reapse; atque curam gereremus pauperum, qui erant Jerosolymis; quod et ego solicitus fui agere ac perficere: quoniam inimici crucis nihil respiciebant ad illos Gentiles Christi dilectos, ut defectum eorum supplerem.

Ut autem noscatis, quod si venissent ipsi Apostoli in Gentes, eamdem prædicationem, quam ego prædico, prædicassent; ecce quum *venisset Cæphas Antiochiam,* ipsum caput Apostolorum, ac fundamentum Ecclesiæ, ausus sum ego reprehendere, non quia mereretur ipse reprehensionem; sed quia incusatus erat ab iis, qui ex ipsa circumcisione ambulabant cum illo.

Prius enim quam venirent apud eum circumcisi, *a*

Jacobo fratre Domini nostri, *cum Gentibus* et ex cibis Gentium *edebat: quum autem venissent*, discretionem faciebat; non indiscriminatim, sed cum discretione; veritus, ne forte circumcisi, qui erant inter Gentes, christifideles, iterum redirent ad filios populi sui, tamquam alienati a Christo.

Verum nec ipse solus id fecit; quoniam et Judæi, qui discipuli facti erant Antiochiæ, qui olim non decimabant sicut Simon, reversi sunt et illi decimare cum Simone. Sic et Barnabas quoque, qui ex Gentibus erat, coactus est propter Simonem discernere cibos Hebræorum.

Sed quum vidissem, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, quia erant ad *morem* Ethnicorum atque Judæorum, Christi et Legis; Simon autem timebat aliquid eis dicere, ne forte scandalizarentur, dixi *Petro*, non in abscondito, sed *coram omnibus*; non enim ipse infirmatus est aliquatenus, sed propter infirmos hæc facere, in angustiam redigebatur. Dixit ergo per eum ad circumcisos: *Si tu, quum Judæus sis, gentiliter* heri *vivebas,* hodie *quomodo cogis,* non verbo, sed opere, *Gentiles judaizare?*

Atqui *nos natura Judæi* legisperiti scivimus, *quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi,* et propterea reliquimus nos legem, et *credidimus in Jesu Christo; ut justificemur ex fide, et non ex operibus legis.* Ideoque *ex lege nemo potest justificari,* eo quod nequit eam implere.

Quum autem nos, qui quærimus *justificari in Christo, inveniamur et ipsi peccatores,* eo quod non implentur aliquatenus observationes legis: *numquid Jesus Christus peccati minister fuit,* quippe qui evacuavit observationes, quæ condemnabant solventes? *Absit.*

Si enim quæ destruxi usque ad hodiernum tempus, ex hoc die et ultra *iterum hæc ædifico, prævaricatorem* ergo

præcepti *meipsum demonstro;* reversus enim sum ad servandum id, quod non bene solveram.

Sed ego cunctis observationibus legis mortuus sum, *ut Deo vivam.* Et quomodo hoc?

Vivo quidem, jam non sicut prius per legem, *sed in fide Filii Dei vivo.*

Non abjicio gratiam Dei, quæ facta est mihi per Crucem. *Si enim per legem* est *justitia*, sicut vos dicitis, *ergo gratis Christus mortuus est.*

III.

Postquam eos suasit de rebus Antiochiæ gestis, redit ad reprehendendos convincendosque Galatas, dicens: *O insensati Galatæ,* qui in omnes doctrinas declinatis. *Quis vos fascinavit?* vos enim prævenistis in comprehensione Evangelii, nunc autem recedere vultis? Ecce enim *ante oculos* vestros scriptum est in isto novo; et in antiquo de Christo Jesu, quia crucifigendus erat: nam vetus illud, quod diligitis, testatur fore crucifigendum.

Nunc *hoc solum a vobis volo* sciscitari: *Ex operibus legis,* quæ cogunt vos hodie circumcidi, *Spiritum accepistis* prophetiæ, et linguarum, et interpretationis linguarum, *an ex auditu fidei,* quam vobis prædicavimus? Si enim destituti eratis, quoniam non custodiebatis legis observationes, quomodo nunc digni facti estis donis Spiritus?

Sin autem perfecti eratis, videte, quantum *stulti estis,* ut quum Judæi reliquerunt legem, et in hanc novam venerunt; vos quum *spiritu cœperitis*, Evangelio scilicet, *nunc* per legem velitis *carne consummari?*

Quod si hoc ita est, ergo et tribulationes, quas propter promissionem Christi passi estis, *frustra passi estis.*

Agedum, dicite mihi: *Qui distribuit vobis Spiritum,*

et roboravit *in vobis virtutes* ejusdem Spiritus, *ex operibus legis*, quæ non perficit hominem, operatus fuerit, *an ex auditu fidei?*

Sin autem existimatis, aut magistri vestri, quod fides minor sit opera, ecce Abraham, non quia operatus est, sed quia *credidit in Deum, reputatum est illi ad justitiam.*

Cognoscitis hoc, quia credentes, qui similes sunt Abrahæ, vocantur filii Abrahæ?

Præsciebat, idest ab ipsis diebus Abrahæ indicabat, *Scriptura, quia ex fide justificat Gentes Deus*, quum dicebat illi: *Benedicentur in te omnes Gentes.*

Igitur qui crediderunt, benedicti sunt cum Abraham fideli.

Quicumque enim sub operibus legis sunt, sub maledictione sunt. Scriptum enim est: *Maledictus*, ait, *omnis* homo, *qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat omnia.*

Manifestum est, quod ex lege ipsa *nemo justificatur*; nemo est enim ex justis, sive major, sive minor, qui non sit transgressus legem, subditusque sub maledictione legis. Dicit enim rursus: Qui *justus* est, *ex fide vivet.*

Lex autem non ex fide vivificat, *sed qui fecerit ea, vivet in illis.*

Christus nos redemit de maledictione legis, nam veniens sustulit pro nobis maledictionem. *Maledictus*, ait, *omnis, qui pendet in ligno.*

Nunc autem quia pervenit in Gentes benedictio Abrahæ per Evangelium Christi, cur non festinantes contendimus accipere benedictionem Spiritus, quam promisit Abrahæ per fidem, quæ prius justificavit Abraham?

Ille tamen attulit sermonis sui exemplum, quod sicut *testamentum confirmatum non contemnitur*, neque aliud quodpiam mandatum super illud ponitur;

Ita et *Abrahæ dicta est promissio ;* non ei et *seminibus* ejus *multis*, domui Ceturæ, et Ismaelis, sed ipsi, *et semini ejus*, *qui est Christus.*

Hanc ergo promissionem, quæ sicut testamentum confirmatum erat apud Deum, ab ipsis Abrahæ diebus, *lex quæ post quadringentos et triginta annos statuta est*, *non* potest aspernari et *irritum facere,* promissionem inquam.

Nam si, ut dicunt magistri vestri novi, *ex lege* est *hæreditas, ergo non ex promissione* ; sicut Deus ipse dixit. Sed nos scimus, quod *Abrahæ per repromissionem donavit Deus*, non autem ex lege ;

Quæ propter transgressores posita est, ut secundum virtutem suam præparare possit *(homines)* usque ad tempus : idest, *donec veniret semen*, quod promissum erat in epulis Angelorum *per manum mediatoris.*

Mediatio autem Angelorum non una erat in persona : *Deus autem,* qui in illis erat, quique promisit hoc, *unus erat*, qui non mutatur.

Lex ergo adversus promissa Abrahæ *non est. Si enim data esset lex, quæ posset vivificare,* evacuata igitur erat promissio.

Sed conclusit Scriptura observatores legis *sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Chisti daretur,* non sane operantibus, sed *credentibus.*

Non tamen prorsus inanis erat lex, sed custodiebat nos per comminationes suas, manifestasque pœnas a peccatis. *Conclusi* eramus, puta, servati eramus *in eam fidem,* quæ præparata erat, ut revelaretur.

Itaque lex pædagogus noster fuit, quoniam moderatos conducit nos ad Christi fidem, quæ nos justificat.

At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo, sub lege scilicet.

Omnes enim filii Dei sumus *per fidem Jesu Christi;* et non sumus servi jampridem sub jugo legis subditi jacentes.

Quicumque enim in Christo baptizati sunt, et credunt se Christum induisse, non solum maledictionem legis exuerunt, et alienati sunt, verum etiam tamquam non fuerint iidem ipsi forma, etsi iidem sint natura.

Itaque post remissionem baptismi *non est Judæus* inflatus, nec Ethnicus reprobatus; *non servus* infirmatus, nec dominus superbiens; *non masculus* per potestatem suam, *neque fœmina* cum subjectione sua: *Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.*

Si autem vos estis Christi, qui est ex Abraham, *ergo semen Abrahæ estis*, hæredes promissionis effecti.

IV.

Præterea adduxit alterum quoque exempli ænigma verbo suo, dicens: *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo*, etsi *dominus sit omnium.*

Sed sub tutoribus, et actoribus est, usque ad præfinitum tempus a patre.

Ita et nos cum essemus parvuli, idest, dum mundus parvulus esset sub infirmo ordine legis, tamquam sub ordine mundi *eramus servientes.*

At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, qui veniens natus est ex virgine, sicut dixit Isaias, et ingressus est *sub lege.*

Ut parvulos sub illa ingressos *redimeret, ut* iidem *adoptionem reciperent.*

Ut autem manifestum fieret *quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem* per vos sicut per filios quotidie: *Pater* noster, qui es in cœlis; sanctificetur nomen tuum.

Sed tunc quidem, quum *ignorabatis Deum, serviebatis* idolis, *qui natura* sua *non sunt dii.*

Nunc autem cognovistis Deum, *immo Deus ipse cognovit vos* per opera vestra ; vosque elegit sibi populum sanctum. *Quomodo convertimini iterum ad* inanes, et *infirmos* ordines legis ; illisque impletis temporibus denuo sub jugo servitutis intrare vultis ?

Dies observatis, *et menses, et annos,* quos populus servabat.

Timeo vos ne forte in judaismum humiliemini ; et *irriti sint labores nostri*, quos laboravimus *in vobis.*

Estote sicut ego hodie sine his ; *quia et ego sicut vos* eram in his.

Nihil læsistis, ut aliter atque aliter quodpiam darem vobis.

Scio ego, *quia per infirmitatem carnis* meæ *evangelizavi vobis jampridem :* aut in infirmitate membrorum suorum, aut in tentatione ex inimicis suis.

Eandem ipsam tentationem, quam præferebam in me ipso, *non sprevistis ; sed sicut Angelum*, qui passionibus caret, in ipsa passione *excepistis me.*

Hominibus itaque, *qui, si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi,* mendaciumne cum veritate temperatum porrigerem vobis ?

Ego quoque *non sum inimicus vobis*, sed credidi vobis in omni veritate, idest, confirmavi vos in omni veritate, quam prædicabam vobis.

Sed illi, qui invident vos, quoniam accepistis Spiritum sine observatione legis, *impedire vos volunt, ut* conversi *œmulemini illos*, circumcisi cum invidentibus vos, eo quod carent ipsi eo, quod vos accepistis.

Bonum est autem, si quis œmuletur non in rebus nocivis, sed *in bonis* utilibus.

Iterum parturio vos, donec formetur Christus in vobis, idest, donec habitet in vobis Christus.

Vellem autem esse apud vos, et mutare vocem meam alia doctrina ad probandos vos ; quoniam miror vos tam citatim mutatos.

Neque Abraham ipsum respicitis, *quoniam duos filios habuit.*

Qui de ancilla erat, *secundum carnem natus erat ;* nam non erat ille secundum promissionem, sicut Isaac filius liberæ.

Hæ vero fuerunt *symbola duorum testamentorum.* Una populi Judæorum, secundum legem in servitute generans ad similitudinem ejusdem Agar.

Agar enim ipsa est *mons Sina in Arabia* ; est autem illa similitudo hujus Jerusalem, quia in subjectione est, et una cum filiis suis servit Romanis.

Superior autem Jerusalem libera est, sicut Sara ; et eminet supra omnes potestates ac principatus. Ipsa *est Mater nostra,* Ecclesia sancta, quam confessi sumus.

Neque nos sumus hujus inventores. Isaias enim præveniens dixit de hac : *Lætare, sterilis, quæ non pariebas : quia multi* fuerunt *filii* Ecclesiæ *sterilis,* magis quam filii populi virum habentis.

Vos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii estis.

Sed quomodo Ismael persequebatur Isaacum, ita nos hodie persecutionem patimur ab illis.

Sicut autem dixit ei : *Ejice ancillam, et filium ejus, ne hæres sit filius ancillæ cum filio liberæ ;* ita egressi sunt et illi, ne hæredes fiant vobiscum.

Non sumus itaque servi, ob libertatem, quam accepimus nos per Christum.

V.

Firmi *stemus* in Christo, *neque iterum sub jugo servitutis* legis *intremus*.

Ecce ego Paulus, qui plusquam vos scio virtutem eamdem, *dico vobis : quoniam si circumcidamini*, sicut dicunt vobis, in hoc et propter hoc *Christus vobis nihil proderit*.

Verumtamen omnis, qui admittit circumcisionem, debet ille deinde omnem legem perficere ; servare scilicet sabbata ejus, et celebrare festa ejus, et manducare azymum ejus, ejusque agnum, et lactucas.

Quod si hæc vos feceritis, *evacuati estis a Christo, qui in hac lege* vultis justificari. Si operibus vestris secundum legem justificari cupitis, *a gratia*, quæ facta est in vobis, sicut in omnibus gentibus, *excidistis*.

Nos enim spiritu fidei, quam suscepimus, *spem justitiæ*, quæ datur nobis ab ipsa fide, *expectamus*.

Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides per charitatem prævalens ; per fidem videlicet nostram ad Dominun nostrum, et charitatem nostram ad se invicem.

Bene quidem *currebatis* in his, quæ recensui : *quis vos detinuit*, et allexit vos *deficere a veritate* illa, quam ego tradidi vobis ?

Nam quod credidistis, ab illo est, qui vos vocavit : *persuasio* autem *hæc*, quæ contraria priori est, ab illo est, qui vos allexit, et detinuit hodie : aut persuasio vestra a Deo est, a quo et vocatio omnium Gentium.

Tamquam fermentum est omnis doctrina ; et in quem illud cadit, mentem ejus sicut massam ad se trahit.

Sed ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud, quam quod ego dedi vobis, *sapietis. Qui autem conturbat*

veritatem, quam seminavi in vobis, ille solus *recipiet judicium*, quod venturum est super eum, qui proximum scandalizat.

Ego autem si circumcisionem prædicassem, nequaquam ab ipsis Judæis persecutionem paterer. *Ergo evacuatum est scandalum Crucis,* humilitas videlicet Crucis, quam nos prædicamus, per circumcisionem, quam illi prædicant.

Utinam et omnino *abscinderentur*, et abjicerentur pro nostra æmulatione illi, *qui vos conturbant.*

Vos autem, fratres, in libertatem vocati estis; ne ergo convertamini in legem. *Neque libertas vestra sit in occasionem carnis, sed per charitatem servite invicem,* neque in doctrina aliena.

Lex enim, in quam vos curritis ad perficiendas multas ejus observationes, paucis rebus perficitur: idest, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

Quod si invicem odio habetis et *mordetis*, non solum legem non adimpletis, sed etiam *ab invicem deperdimini.*

Dico autem: Spiritu, operibus nimirum Spiritus, *ambulate, et desideria carnis vestræ non perficietis:*

Caro enim concupiscit, quæ non sunt voluntatis spiritus; *spiritus autem* cupit, quæ afflictiones sunt carnis. Quia autem duo *hæc sibi invicem adversantur, non* tantum *illa faciatis, quæcumque vultis,* sed ea faciatis, quæ vult spiritus, qui habitat in vobis.

Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.

Manifesta enim *sunt opera carnis*, quia illius dominatur lex: *ut sunt fornicationes, immunditiæ,* cum cæteris:

De quibus, dum apud vos essem, dixi; et nunc absens scribo vobis, *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.*

Fructus autem Spiritus est charitas, et *pax*, cum cæteris.

Adversus hujusmodi non est lex. Quoniam non est scriptum in lege operari hæc, sed ex libertate nostra eligimus hæc facere.

Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum omnibus *concupiscentiis* carnis, quas recensui.

Propinquemus spiritui, et sequamur eum per bona opera nostra.

Et *non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes* ad observandam legem veteris *(testamenti).*

VI.

Si autem ex improviso impingat homo in aliquid delictum, qui per spiritualia opera sua remoti sunt a delicto, illi instruant *hujusmodi in spiritu lenitatis*; atque caveant, ne forte hoc ipso, quia vix delinquerunt adhuc, dominetur in eis fastus superbiæ; ne et ipsi, qui servati sunt ab illa iniquitate, in quam eorum proximi ceciderunt, ingrediantur in tentationem jactantiæ.

Quum *alter alterius onera portabit, sic adimpletur lex,*

Non autem eo, quum *quis existimat se aliquid esse.*

Sed nosmetipsos probemus, operaque nostra, an ex Deo sint, *et sic in nobisipsis tantum gloriam habebimus, et non in altero,* idest non autem in alterius operibus.

Unusquisque onus suum portabit, et non glorietur in aliorum onere, quod portant.

Consentiat imperitus perito in omnibus bonis; idest: discipulus imitetur in omni bonitate magistrum suum, qui eum docet.

Ne autem putetis, quod non sit judicium, et præsumatis peccare; Deus enim contemptionem alicujus non admittit.

Quoniam qui seminat in carne sua opera carnis, *cor-*

ruptionem metit; corruptio nempe est lucrum suum: *qui autem in spiritu* opera spiritus *seminat*, ab ipsis operibus suis *vitam* æternæ resurrectionis *metit.*

Bonum autem facientes, non tædeat nos perseverare; veniet enim tempus, quod procul est a cunctatione; et in æternum metemus sine derelictione.

Operemur bonum ad invicem, *maxime autem ad domesticos fidei*, ad sanctos scilicet, qui erant in Jerosolymis, et ad socios eorum, qui erant in Gentibus; quique direptionem substantiarum suarum in lætitia passi erant.

Videte, qualibus litteris scripsi vobis mea manu, de circumcisione.

Quicumque autem volunt adulari, et *gloriari in carne*, idest per circumcisionem, *hi cogunt vos circumcidi*, ut in vestra circumcisione glorientur, dicentes: Ecce nos circumcidimus eos, qui edocti erant a Paulo, ne circumciderentur.

Mihi autem absit gloriari in hisce similibusve rebus; *nisi* in sola *cruce Domini nostri Jesu Christi* sit gloria mea. *Per eum* enim *mundus mihi crucifixus* est evidenter, *et ego* crucifixus sum per passiones et tribulationes *in conspectu mundi.*

Verum *in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium;* nisi quod homo sit *nova creatura.*

Et quicumque hanc regulam gratiæ firmiter *tenuerint, pax* erit *super illos*, sive Ethnici sint, sive Israelitæ sint Dei.

De cætero per regulam circumcisionis *nemo mihi molestus sit; pro enim* circumcisione, quæ ponitur super unum membrum, et in eo gloriantur circumcisi, *ego passionem Domini nostri Jesu Christi in* toto *corpore meo porto.*

Gratia Domini nostri Jesu Christi cum vobis omnibus; nolite itaque opus vos habere justitiæ legis.

AD EPHESIOS.

Ephesii auditores fuerant Johannis Evangelistæ. Is, quia vidit tres socios suos initium fecisse Evangeliorum suorum a corpore, ne forte existimarent homines, quod homo tantum fuerit ille, qui apparuit ipsi, non autem Filius Dei ; declinavit ab illis sociis suis ut iter novum faceret, quod non fecerant socii.

Itaque incepit asserendo in capite Evangelii sui, non quod ille natus fuerit ex Maria, aut ex David, et Abraham et Adam, sed : *In principio erat Verbum, et* ipsum *Verbum erat apud Deum, et Deus erat* ipsum *Verbum.* Apostolus porro, quoniam sciebat Ephesios in divinitate Domini nostri perfectos esse juxta Evangelium Johannis, eorum prædicatoris, reliquit istud, quia in hoc erant perfecti ; et sumpsit scribere de dispensatione corporis ejus. Retulit ergo ipse de humilitate carnis ejus, ita ut descenderet in inferiorem terræ partem ; et scripsit de majestate ejus, ita ut ascenderet super omnes cœlos.

Quamvis enim sub principio Epistolæ pacem Filii cum Patris pace ad Ephesios dicta conjungat, variisque in locis una cum corpore induto illum commemoret ; ipse tamen Apostolus de humanitate ejus potius, quam de divinitate scripsit ad Ephesios, ut superius jam diximus.



I.

Paulus, ait, *Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei*, quia voluit ille introitum Gentium. *Sanctis, et Fidelibus:* baptizatis videlicet, et catechumenis.

Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo; non autem per Dominum nostrum Jesum Christum.

Benedictus est Pater noster, *Pater Domini nostri*, Pater noster, quia per gratiam appellatus est, advocans nos in adoptionem suam. Pater autem Domini nostri in veritate, non per adoptionem; atque natura, non gratia. Per illud, quod dixit hic, Pater Domini nostri, manifestat distinctionem inter Filium, et carnem. Ubi autem dixit, Pater Domini nostri, manifestat de Filio dixisse, Ubi vero scribit, *Deus Domini nostri*, patefacit, quod de humanitate ejus agit. Ille, ait, *qui benedixit nos*, non in terrena benedictione legis, sed *in omni benedictione* Spiritus, *in cœlestibus in Christo.*

Sicut præveniens in consiliis suis *elegit nos* ad hæc *ante mundum, ut essemus sancti* per baptismum, *et immaculati*, per charitatem nimirum, non autem secundum justitiam conversationis nostræ.

Atque præveniens jam inde *elegit nos* per mysteria prophetarum, et posuit nos ex illo jam tempore *in adoptionem* in Christo, *secundum beneplacitum voluntatis suæ*, ut hæc ipsa faciat nobis.

Ut glorificetur in omnibus, idest, ut superemineat omnia *laus gratiæ suæ*, per ipsum Filium suum misertus est nostri.

Immo per eum *habemus* nos hanc *redemptionem* et spem, quam assecuti sumus *per sanguinem ejus. Remissionem*

peccatorum accepimus, non ex operibus nostris, sed *secundum divitias gratiæ ejus,*

Quæ superabundavit in nobis; hoc est, quia locupletaverunt nos, *in omni sapientia,* et scientia.

Per sapientiam suam monstravit nobis mysterium voluntatis suæ, ille præveniens posuit et abscondidit hoc mysterium regiminis, quod revelandum erat.

Nam in plenitudine temporum omnia instaurantur in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt, in ipso; idest: luminaria, quæ renovantur in mente et cogitatione nostra, et refulgent, quod creaturæ sunt, non Dii: atque idola, quæ in terra, lucidius apparent nobis, quia manifacturæ sunt, non creatores; in renovatione nempe nobis facta renovantur, nòn in seipsis, sed in vera notitia naturæ suæ.

In hoc ipso igitur consilio distincti sumus, et electi in illud ipsum, quod prædestinavit Deus, ut omnia per Jesum Christum valeat placere, ut perficiatur consilium voluntatis Dei.

Ut simus magis, quam omnis ætas nos antecedens, *in laudem gloriæ ejus: nos* videlicet, *qui ante speravimus in Christo.*

Quoniam *et vos* per Jesum *audivistis verbum veritatis:* ipse enim est promissio vitæ; et per eum a cunctis idolis conversi estis, et credidistis per Spiritum Sanctum, qui per aquas evangelizatus erat vobis.

Immo hoc, quod vobis factum est, *pignus est* veræ *hæreditatis vestræ*, quam suscepturi estis in *redemptionem acquisitionis* vestræ, idest, in redemptione futura in collectione Gentium, in die adventus Domini nostri; ut sit hoc ipsum *in laudem gloriæ ipsius,* in gloriam scilicet revelationis suæ.

Propterea et ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Jesu, et dilectionem in servos Domini nostri,

Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri facere semper in orationibus meis;

Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ: ipse enim per Filium suum fuit causa istarum benedictionum, quæ remittuntur hodie ab Ethnicis, qui prius blasphemias pro laudibus emittebant; ipse, inquit, *Pater gloriæ det vobis spiritum scientiae, et revelationis,* idest, ut per revelationem sapientiæ Spiritus agnoscatis eum.

Et illuminentur oculi cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes excellentiæ *vocationis vestræ, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus,* quæ præparata servatur *sanctis.*

Et quæ supereminens magnitudo virtutis ejus in vobis credentibus, idest in conversione vestra, et in operibus spiritus, qui in vobis credentibus. Et ecce opera efficiuntur secundum virtutem potentiæ ejus.

Qui prævalere fecit Christum, et vivificavit omnes extremitates *(mundi)*, et Filium suscitavit a mortuis. Ille ergo, quem superius dixit, Deus Domini nostri Jesu propter carnem, hic (quoque) dixit: Suscitavit eum a mortuis; et fecit eum sedere *ad dexteram suam in cœlestibus.*

Supra omnem principatum et potestatem, dixit de eo, atque propter ejus carnem dixit:

Omnia subjecit sub pedibus ejus: et ipsum fecit caput supra omnia, et *supra Ecclesiam,*

Quæ est, ut ait, *corpus ipsius et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.* Quemadmodum *(enim)* vestivit ipse sibi corpus nostrum hic, fit in fine Ecclesia corpus corporis ejus: atque ita implentur omnia ab eo, qui in omnibus impletur.

II.

Et vos, qui olim eratis *mortui peccatis* conversationis vestræ, *secundum voluntatem principis potesatis aëris*, et *spiritus*, quoniam nimirum princeps est ille super aëra ad accipiendam ab eo similitudinem formæ visibilis, atque princeps est super spiritum immunditiæ: ille, inquit, *qui* jam *prævaluit in filios diffidentiæ*, qui nolunt credere Evangelio.

In quibus et nos omnes conversabamur in desideriis carnis nostræ, facientes non voluntatem Dei, *sed voluntatem cogitationis et carnis* nostræ, *et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri*, qui usque ad hodiernum tempus in diffidentia persistunt. Nos omnes, ait, quia concludebat et seipsum Apostolus sub his; ne alienaretur a gratia, quæ pepercit, ac parcet omnibus, quicumque credunt, et baptizantur ex illa.

Deus autem propter nimirum abundantiam, et *charitatem suam, qua dilexit nos*, misertus est nostri clementer;

Et cum essemus mortui peccatis nostri, *vivificavit nos* per baptismum *in Christo*, per gratiam ejus salvans nos: quoniam gratis salvavit nos,

Et suscitavit nos cum eo per promissionem etiam antequam cecidessemus; *et sedere nos fecit* cum illo *in cœlestibus*: idest, honoravit, et glorificavit nos per carnem ejus, quam fecit sedere in cœlestibus.

Ut commendaret sæculis venturis in ipsa resurrectione *abundantes divitias gratiæ suæ*, quæ fuit per Christum in sæculo hoc nostro.

Gratia enim ejus vocati estis, nam *per fidem* vocati estis: *et hoc non ex vobis* factum est, aut ex operibus vestris, sed *Dei donum est*.

Ne quis glorietur in operibus suis, sed in gratia, quæ miserta est ejus.

Ipsius enim sumus factura, creati de novo per Dominum nostrum Jesum Christum *in operibus bonis;* qui prius, ex quo videlicet elegit nos, *præparavit nos, ut in illis ambulemus.*

Propterea et vos *memores estote, quod aliquando vos* quoque *Ethnici* eratis *in carne*, quia opera carnis faciebatis, *et dicebamini præputium* a circumcisis illis Hebræis.

Et eratis illo in tempore sine Christo, quamvis servati essetis vocationi Christi, et *alienati* eratis a *societate* habitationis *Israel,* ab observatione scilicet mandati legis. Alienati autem estis non a promissione, sed a testamento promissorum ; atque aliam spem non habebatis, quoniam ignorabatis promissionem, *et sine Deo in mundo* ambulabatis, Deum enim veritatis nesciebatis.

Nunc autem quia Christi facti estis per fidem vestram, *qui longe eratis* ab eo, *facti estis prope* ei *per sanguinem ejus* quem accipitis ;

Ipse enim est pax nostra, idest, ipse fecit pacem inter Hebræos et Gentiles ; quoniam *fecit utraque unum* testamentum, *et solvit* in carne sua *medium parietem* inimicitiæ, insaniam videlicet idolorum, quæ super omnes obvelata erat, et non sinebat supra cœlos transferri intellectum hominum.

Et *legem* terrenorum *mandatorum* spiritualibus *decretis* suis *evacuavit : ut duos*, Ethnicos videlicet, et Hebræos *condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem.*

Et reconciliet ambos in uno corpore, quod occisum est pro ambobus, et *per crucem* suam *interfecit inimicitias :* idest, evacuavit et contrivit inimicitiam, quæ erat inter nos, et Deum.

Et veniens evangelizavit pacem vobis, Gentilibus scilicet *remotis, et* Hebræis *proximis.*

Quoniam per ipsum habuimus accessum: confundebant enim nos, et segregabant a seipsis propter legem suam; nunc autem fuit nobis accessus *in uno Spiritu ad Patrem* universorum. Idest, per Spiritum, quem recepimus ab ipso baptismo; ita ut inter eum non est ulterius Judæus, et Ethnicus, quoniam omnia in omnibus Christus est.

Ergo jam non estis alieni a promissis testamenti, neque peregrini ab hæreditate, quæ præparata servatur vobis; *sed estis cives sanctorum, et domestici Dei*,

Et superædificati estis *super fundamentum,* prædicationem videlicet *Prophetarum et Apostolorum:* nam ipse Jesus Christus fuit caput anguli, idest coronator, et obsignator hujus spiritualis doctrinæ.

Et in eo omnis ædificatio Ecclesiæ firmatur, aptatur, et crescit in ædificium templi sancti; puta, ad similitudinem templi sancti in habitaculum divinitatis.

Quoniam *et vos* cum ipsa Ecclesia *coædificamini,* ut sitis *habitaculum* divinitatis per Spiritum sanctum.

III.

Hujus rei gratia ego Paulus vinctus Jesu Christi pro vobis Gentibus: idest, nunc a vobis, nunc ab ipsis Hebræis, non ob aliam causam, sed quia evangelizo vobis hoc Evangelium;

Si tamen audistis ministerium gratiæ, et firmi estis in dispensatione, non legali, sed spirituali; dispensationem, inquam, gratiæ Dei, *quæ data est mihi in vobis*, propter vos scilicet:

Quoniam in revelatione itineris Damasci *notum mihi factum est* hoc *sacramentum*, *sicut* paululum ab hoc *scripsi* ad vos:

Ut possitis legere et intelligere scientiam, quæ abscondita erat *in mysterio Christi.*

Quod aliis generationibus, etsi scripserunt prophetæ ejus per symbola, *nunquam* tamen *revelatum est filiis hominum, sicuti hodie revelatum fuit Apostolis* ejus per Spiritum Sanctum, per dona scilicet Spiritus.

Ut essent Gentes cohæredes priscorum justorum per corpus ejus: ut simul accipiatis promissionem, quæ est ipsa ejus caro, jam promissa, ut simul reciperent eam Hebræi, et Gentes *per* Christi *Evangelium.*

Cujus factus sum minister, dispensator secundum abundantiam donorum *gratiæ Dei, quæ data est mihi,* non secundum cursum infirmi corporis, sed *secundum virtutem* brachii *ejus.*

Mihi, qui *minimus* sum non solum omnium Apostolorum, sed etiam *omnium Sanctorum,* baptizatorum videlicet, *data est gratia hæc,* quum non essem ea dignus, *evangelizare in Gentibus,* non naturam Christi, sed *investigabiles divitias Christi.*

Et illuminare omnes homines, ut noscant, *quæ sit dispensatio* hujus *sacramenti*; quia nimirum vitam spiritualem diligit, non legalem; *quod absconditum erat a sæculis,* ab illo tempore, *apud Deum, qui omnia creavit.* Quamvis enim relatus fuerit adventus ejus in mysteriis, attamen quod corpus ejus in cibum distribuendum erat, solus Deus hoc sciebat, apud quem absconditum erat.

In Ecclesia, ait, *innotescat multiformis sapientia Dei principatibus, et potestabitus,* qui in cœlis sunt: vel sacerdotes, et principes populi vocat potestates cœlestes propter varias munditias lepræ, aliquarumque macularum, in quibus paucis utilitas quædam fiebat de cœlo per eos; vel de principatibus, et potestatibus, qui per illusionem pugnant nobiscum, dixit; quippe qui non noverant Filium; *(idcirco*

diabolus) per signum, quod petiit ab eo in deserto, et per oraculum, quod replicavit ei ex prophetis, certo noscere eum voluisset. Itaque inter Ecclesiam viderunt illi multiformem sapientiam Dei, atque obstupefacti respiciebant ac mirabantur, quod excogitaverit, per corpus quod ambulabat, sumentes illud spiritales fieri pro corporeis, et cœlestes pro terrenis, et vivos pro mortalibus, ac divinos pro humanis,

Immo, inquit, quod *secundum præfinitionem sæculorum,* idest ante mundum, in Ecclesia *hoc fecit per Jesum Christum.*

In quo habuimus accessum istum, qui factus est nobis *per confidentiam fidei ejus.*

Propter quod peto a vobis, *ne deficiatis in tribulationibus* hisce *nostris,* non in illis, quæ pro nobis sunt, sed in illis, quas *pro vobis* patimur quotidie. Si enim voluissemus commorari in aliquo loco, et colere Deum, potuissemus; neque amplius persecutionibus subjecti fuissemus: sed quia optavimus salvare omnes Gentes, ideoque insuper universis Gentibus prædicamus; propterea et ab universis Gentibus persecutionem patimur. Ne igitur deficiatis, ipsa enim patientia nostra *est gloria vestra.*

Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi.

Ex quo omnis paternitas cœlestium, et terrestrium, idest, in cœlis ejusdem Patris et in terra omnium gignentium.

Ut ipse *det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute* (corroborari) *per spiritum ejus:* idest, ut aut per spiritualia opera firmemini in eo, aut per virtutem, quæ non debellatur a persecutoribus, firmemini per Spiritus baptismum, quem accepistis; sicut *in ipso interno homine* nostro, qui accepit Spiritum,

Habitet Christus per fidem, et veritatem, et charitatem

ejus, quæ diffunditur in cordibus vestris, ut firma sit radix vestra, fundamentum scilicet fidei vestræ.

Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, et noscere, *quæ sit altitudo, et profunditas, longitudo, et latitudo*; quæ sit nempe consummatio hujus mysterii, quod nos prædicamus vobis,

Et quæ sit *supereminentia scientiæ charitatis Christi* erga nos factæ; *ut impleamini omni plenitudine Dei.*

Ei, *qui potens est* supra omnia, quæ nobis fecit, *facere nobis*: non sicut petimus, sed plusquam petimus, et cogitamus secundum absconditam virtutem suam, *quæ operatur in nobis*,

Ipsi gloria per Jesum Christum ab Ecclesia in omnibus generationibus in sæcula sæculorum, Amen.

IV.

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, pro Domino nostro, et pro vobis, *ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis:* ut, scilicet, ambulatis *in omni mansuetudine*, *et longanimitate.*

Solliciti servare concordiam Spiritus sancti: idest, in constantia commixta pacis. Estote *unum corpus*, *et unus spiritus, sicut vocati estis.*

Una fides et *unum baptisma*, non multa.

Et super omnes (Deus) per providentiam, et cum omnibus, *et in omnibus* nobis est ex baptismate.

Unicuique autem *nostrum data est gratia*, non æqualiter, sed discretione, *secundum* scilicet *mensuram donationis Christi.*

Propterea dictum est: *Ascendit in altum*, idest, in cœlum; *et captivam duxit captivitatem*; convertit enim ille captivitatem, quæ captivata erat ab errore fallaciæ, et

distribuens *dona dedit hominibus*: illud est, quod in adimplemento Pentecostæ distribuit deditque disciplulis.

Quod autem ascendit, quid est, ait, *nisi* corpus, *quod descendit* per mortem *in infernum?* nam istud est *inferior pars terræ.*

Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, idest, super omnes altitudines cœlorum; *ut impleret omnia* quæ dixit: istud est, quod dixerat: Quam recipitis vos non post multos dies, sed usquē ad Pentecostem.

Et ipse, ait, *dedit quosdam quidem Apostolos*, duodecim, et septuaginta duos; *quosdam autem Prophetas*, prædicentes futura in posterum; sicut Agapus, qui prophetavit de fame futura per omnem terram: *alios vero Evangelistas*, prædicatores videlicet; *alios autem Pastores* pro conductione vulgi hominum; *et* alios *Doctores* ad educandos intellectus credentium:

Totum autem hoc *opus ministerii* datum fuit *in ædificationem corporis Christi*, quod est Ecclesia Christi.

Donec perveniemus et nos *omnes in unitatem fidei*, idest ut uniamur communiter in fide, et dominatione Dei; *in virum*, inquit, *perfectum*, *in mensuram ætatis perfectionis Christi*, idest, imitatores simus Christi; ut perficiatur per eum mensura ætatis interni hominis nostri.

Quandoquidem vero Dominus noster fuit nobis signum perfectionis, *ne simus* sicut *parvuli* in mentibus nostris conturbati, *fluctuantes, et circumlati omni vento* a vera illa doctrina Dei in doctrinas mendacium hominum, qui in *astutia* sua volunt offendere nos *per circumventionem erroris;*

Sed simus firmati et verificati *in charitate* Christi. Sic itaque firmamur in doctrina Christi. In hoc ergo charitate *crescamus*, et superabundemus: et Christus ipse, qui

est caput, et consummator omnium, ipse connectit, et consolidat corpus Ecclesiæ per omnem gustum, et *per omnem juncturam secundum* donorum virtutis *mensuram* in singulis partibus ; idest : ipsa dona Spiritus velut membra sunt, quæ fiunt in augmentum corporis Ecclesiæ, ut *in charitate perficiatur ædificatio ejus :* indigentia videlicet, quæ inter se invicem agitur, charitatem magnam seminat inter ea.

Jam itaque *ne ambuletis, sicut et Gentes in cæcitate sensus sui :* namque nondum orta estlux novi testamenti in mentes eorum.

Vos autem non hacce *cæcitate invenistis Christum.*

Si ergo veraciter audistis, quod prædicatum fuit in vobis, *sicut est veritas in Christo ;* sicut nimirum perfecta fuit veritas per Christum ;

Sic deponite veterum hominem, qui corrumpendus est, quia videlicet percutitur, et conteritur desideriis erroris.

Renovamini autem spiritu mentis vestræ, idest in cogitationibus vestris.

Et induite vos, non veterem hominem, qui nectitur, et resursit ex operibus malis, sed *hominem novum, qui secundum divinitatem creatus est in justitia,* sinceritate, et veritate, in operibus scilicet justitiæ, et in expiatione baptismatis.

Si irascimini, nolite tamen *peccare :* quia conculcatis mandatum ejus, qui septies septuagies jussit ad alterutrum dimittere. Si ergo uni homini quadrincenties et nonagesies præceptum fuit dimittere in una die, videte, cavete, *ne sol occidat*, et dimittat nobis delictum diei : nam si veniunt tenebræ, et perveniunt ad delictum tunc et inimicus potitur nostri : et ejus spiritu a pura quoque noctis oratione, quam oramus, privat, et detinet nos ;

Ne forte per malas cogitationes *contristetis* etiam *Spiritum sanctum, in quo* baptizati estis *in die redemptionis*, et expiationis vestræ.

V.

Estote vos *imitatores Dei,* in misericordia videlicet.

Omnis enim homo *fornicator, et immundus, et avarus,* qui jactanter dicit: Ego idola non adoro; jam idololatra est; et sicut idololatra, ita et hujusmodi *non habet hæreditatem in regno Christi.* Nam unum *(opus bonum)* dumtaxat non potest salvare eum sine sociis suis.

Nemo vos seducat inanibus verbis, dicens, quod non exiguntur, neque inquiruntur actiones cupiditatis, et avaritiæ; *propter hæc enim* opera *venit ira Dei* in generationem domus Noë et Loth.

Nolite ergo vos *effici participes eorum* operibus, ne forte sitis consortes et plagarum.

Quod si eo tempore, quo *eratis tenebræ,* fecistis opera eorum, hodie oportet vos valedicere eis, quia estis *lux in Domino.*

Nunc ergo *ut filii lucis, fructus lucis,* quales sunt *justitiæ, et veritaties, facite.*

Et nolite communicare operibus tenebrarum, iis scilicet, qui operantur opera tenebrarum, quoniam non habent illi fructum bonæ promissionis; sed quotiescumque videtis fluctuationem operum eorum, *magis* ac magis *redarguite* eos, qui hujusmodi vitam agunt.

Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, exinde ostendens eos peccare, testatur, quod *turpe est et dicere, id* quod agunt.

Omnia autem, quæ a lumine sunt, a filiis scilicet lucis, *argunutur:* manifestum itaque est, quod fuit talis lumen per filios lucis, qui arguerunt illud. Fortassis opera bona vocat nomine lucis, et opera mala nomine tenebrarum. Quamvis enim et opera mala interdiu, agantur die nocte autem opera bona, Apostolus tamen in lumine dixit hu-

jusmodi opera luminis operari, et in tenebris mali consortibus omnia mala peragi.

Propter quod dictum est; Expergescere, qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Idest, surge a somno peccati, et exurge a mortuis, a mortalibus videlicet operibus, et illuminabit te Christus propter bona, et pulchra opera.

Loquentes vobismetipsis, idest in mentibus vestris seorsim; loquimini *in psalmis*; hoc est, quod dicit: *in canticis spiritualibus laudate in cordibus vestris Deum.*

Mulieres viris suis sicut Domino subditæ sint, sicut Ecclesia subjecta est Christo. Quemadmodum amor Ecclesiæ cordis est, non speciei, ita et mulier virum suum diligat; et quemadmodum Ecclesia non habet alium Christum pro Christo, sic et mulier alium virum non habeat sui viri loco.

Similiter *viri diligant uxores suas, sicut et Christus dilexit Ecclesiam* suam. Si enim diligat eam, et curam ejus habeat, non potest commutare cum aliqua re veram illam dilectionem.

Quale est apud sanctos matrimonium, istud fecit Apostolus [1] *sacramentum Christi Ecclesiæque* suæ. Idest, quia hæc dilectio sincera, quæ ab Adam usque ad Dominum nostrum ordinata erat, sacramentum erat perfecti amoris Domini nostri. Eo enim reliquit Ecclesia idola, et possessiones ad similitudinem patris, et matris: atque Christus ipse reliquit Patrem in excelsis, et matrem in imo, et mortuus est pro Ecclesia, ut Ecclesiam, quam dilexit, morte sua vivificaret, in ipsum regnum suum perduceret evectam.

---

1. *Fecit*, nam in textu ait: *Ego autem dico.*

VI.

Porro hæc dixit Apostolus de mulieribus, et viris, de filiis, et patribus, de servis, et dominis, eo quod Hebræi calumniabantur illum in his, et nonnulli Ethnicorum, forte et Ephesii calumniabantur eum in hoc. Scripsit ergo hæc ad Ephesios sui ipsius apologiam instituens, quod plusquam pro populo, et pro Gentibus diligentiam ipse gerebat de his; namque sine his neque natura moderari potest.

Postquam itaque allocutus esset eos, qui sæculum diligebant, convertit se ad roborandos illos, qui sæculo renunciare vellent.

Ut autem indueret eos armis divinitatis per spiritualia opera sua, ut valeant resistere non soli violentiæ ejus, sed *adversus omnes insidias inimici,*

Colluctatio vestra, ait, *non est adversus carnem, et sanguinem,* idest, non cum hominibus est pugna certaminis vestri; nam etsi per homines iniquos, ac persecutores, et per amicos luctatur vobiscum hostis, colluctatio tamen vestra est, inquit, *adversus principatus, et potestates, et adversus mundi rectores tenebrarum harum,* et contra spiritus immunditiæ aëris cœli istius. Verum advertas velim, quia non dixit, colluctatio eorum, sed colluctatio vestra: non enim ille (1) obluctatur adversus nos, sed nos adversus eum. Etsi insidias ille habeat, non habet tamen virtutem: quod etiam virtutem habuerit, non est tamen datum ei colluctari adversus nos per vim, sed per machinamentum insidiarum. Quemadmodum luctatus est cum Adam, et Heva non virtute, sed variis insidiis cogitationis; neque dura violentique voce, sed dolo accessit. Sic pariter accedit

1. Nempe *diabolus.*

ad omnes homines; præter quod si flagitet, et exposcat facultatem a Deo, sibique libera detur licentia pro loco, et tempore: quemadmodum petit, et accepit facultatem in Job.

Sic ergo sine ulla violentia, suasionibus suis ac insidiis accedit ad filios Adæ, et Hevæ, sicut ad Adam, et Hevam. Quamvis autem inimicus ipse fallaciis accedat ad nos, et irritationibus, nos tamen certamine, ac luctamine pro nostra facultate, laboribus scilicet jejunii et orationis, possumus nos eripere ab insidiarum machinamentis atque a fallacibus illius maligni irritationibus.

Quod autem vocaverit eos superius principes in cœlo, id fecit ad discretionem ponendam inter principes, et principes, inter corporales nimirum principes, et spiritales. Sed quemadmodum quum dixit David: *Ibi habitabunt omnia volatilia cœli*, volucres aëris audimus, non cœlorum; similiter quum dicit principes cœli, principes aëris audimus, non vero principes cœlorum. Rectores insuper mundi nominavit eos propter eorum facultatem per universum mundum diffusam ad seducendos, atque ad inducendos in peccatum homines, qui sunt per omnem terrarum orbem. Spiritus iterum tenebrosos sub cœlo, dixit, ut ostenderet, quod in occulto, et in tenebris aguntur tenebrarum opera, quæ edocet. Sub cœlo autem dixit, ut patefaceret, quod subter cœlum est habitatio ejus, non supra cœlos; atque inter homines malitias eorum perpetrantur et coluntur, neque inter igneos ac spiritales Vigiles, sicut hæreticorum sectæ asserunt. Quod autem dixit et adversus spiritus immunditiæ, illi sunt, qui audent ingredi in homines, sicut in Mariam Magdalenam, et in eum virum, qui seipsum lapidibus percutiebat.

Propterea, ait, *accipite armaturam* jejuniorum et ora-

tionum et vigiliarum, *ut possitis* stare, et *resistere* eis *in die mali,* idest, in die in qua surgit contra nos aliquid ex illis concupiscentiis ; quoniam hisce superamus.

Et in omnibus præparate vos, in veritate scilicet, et justitia ; ut in istis et sociis suis *possitis extinguere tela* intincta *nequissimi ignea*, cogitationes videlicet inimici comburentes.

Per omnem orationem, et obsecrationem ; orantes propter hæc non pro vobis solis, verum etiam *pro omnibus sanctis,*

Et pro me orate, *ut detur mihi sermo in apertione oris mei,* ut nempe procul sit a me timor, et confusio ; *cum fiducia notum facere mysterium* illud, *pro quo legatione fungor,* non in honore aut dono, sed *in* vinculis et *catena,*

Ut autem et vos sciatis quid sit *de me*, *quid agam ;* ecce misi Tychicum, ut indicet vobis *quæ circa nos sunt* ; nobisque referat, quæ sunt circa vos : *et consoletur corda vestra* a tristitia illa, quam induistis ; idest confortatione nostra et exultatione, qua nos gaudemus in tribulationibus nostris.

Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum sine corruptione, idest sine operibus corruptionis.



AD PHILIPPENSES.

Persecutio magna excitata fuit in Paulum in ipsa Philippensium urbe: in angustiam cum illo redacti sunt et Philippenses. Discedente inde Paulo, iterum rennovata est in Philippenses persecutio. Quum ergo audivit Paulus tribulationes eis illatas a persecutoribus, et de Hebræis, qui eos insultabant eisque instabant, ut circumciderentur, atque observationes legis servarent, prætermisit magnæ tribulationis sollicitudines, quæ illum in urbe Roma circumdabant, et de illis ac de istis ad Philippenses scripsit Romæ, dicens hoc modo:

I.

Paulus, *et Timotheus servi Jesu Christi.* Nam etsi in Epistola, quæ hanc Epistolam subsequitur, Timotheum fratrem in initio Epistolæ scripserit, hic tamen nomen quoque Apostolatus deposuit a se; ut per unam, quam super ambos extendit, servitutem, unus super utrumque expanderetur consensus. *Omnibus*, inquit, *sanctis, qui sunt Philippis*, *cum Episcopis et Diaconis*, eorum rectoribus.

Gratia vobis, et pax a Deo patre nostro, qui vocavit nos in suam adoptionem; *et a Domino* nostro *Jesu Christo,* non autem per Dominum nostrum Jesum Christum.

Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, quæ quotidiana est; idest, propter memoriam bonam tribulationum, quas semper suffertis: fortassis propter bona, quæ illi fecerunt Apostolo in tempore persecutionis suæ, quotidie sine oblivione memoriam præseferebat.

Quamvis autem *in cunctis orationibus*, et petitionibus pro dilatatione vestra a tribulationibus ipsis exoro; *cum gaudio* tamen *deprecationem facio super communicatione* fidei vestræ et *Evangelio*, eo quod in his confirmati estis *a prima die usque ad hodiernum tempus:* quoniam in cunctis tribulationibus, quæ nobis contigerunt, non defecistis.

Confidens hoc ipsum, ac sciens, *quia qui cœpit in vobis opus bonum*, quo proficitis hodie, idem *perficiet* in vobis *usque in diem Jesu Christi*, qua ab hoc sæculo congregabimini.

Sic omnino *est justum mihi* cogitare id, quod vobis est futurum; *in corde* enim meo *habeo vos* omnes; quoniam fuistis per gratiam, quæ vos corroboravit, participes et coæquales annis meis, in illo tempore, quo statueram apologiam facere in civitate vestra pro æquitate veritatis Evangelii.

Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam vos, et diligam jam ab illo tempore.

Et sic *oro*, et rogo *ut charitas vestra magis ac magis abundet* ac multiplicetur, non sine scientia, sed *in omni* spirituali *sapientia.*

Ut ejusdem sapienti charitate noscatis secernere, et *probare potiora; atque sitis*, sicut et nunc, firmi, et *sinceri sine offensa in die* judicii *Christi;*

Atque *repleti* non terreno fructu, aut legali, sed *fructu justitiæ*, quem fecistis *per Jesum Christum in laudem gloriæ Dei.*

Scire autem vos volo, fratres, quia etsi nos in tribulationibus nostris amplius abundemus, verum quidquid de nobis fuerit, *magis* ac magis *ad profectum fuerunt Evangelii Dei:* idest, passiones ac tribulationes meæ crescunt, et augentur in annuntiatione Evangelii:

Ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo, in mirabili magnoque *prætorio* Romæ, et apparuerint manifeste in conspectu totius mundi.

Etenim *plures* quoque *fratres*, qui in Domino erant, *confisi sunt vinculis meis;* idest, roborati, et confortati fuerunt videntes vincula mea : atque in mea confortatione audentes contempserunt mortem, et in terribili urbe *sine timore verbum Dei prædicavere.*

Sed quia viderunt *quidam* ex alienis dilectos, et honoratos fuisse Evangelistas verbi, nonnulli *propter invidiam,* alii vero per *contentionem,* facti sunt illi prædicatores verbi, quod olim nollent : *quidam autem et propter voluntatem Christum prædicant.*

Quidam ex charitate nostra, *scientes quoniam* ad id destinati sumus, ut defensionem possimus operari Evangelii.

Quidam autem ex contentione nostra *Christum prædicant,* non in puritate ; quædam enim verba commiscent in prædicationibus suis, ut per commixtionem pressuram resuscitent vinculis meis.

Verum ego et de iis, qui existimant contristare me, gaudeo, ac lætor ; ego enim intendo, ut *sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur.*

Scio enim, puta, confido, *quia hoc mihi servatur ad vitam salutis,* pro eo quod lætatus sum de illis, qui ad augmentum pressuræ vinculorum meorum Christum annuntiant, etsi eum in puritate minime prædicant.

Quoniam ego expecto in spe mea, quod usque ad finem in nullo confundar ob vincula mea, sed sicut semper, sicut videlicet in cunctis tribulationibus meis, in hac quoque tribulatione confidenter *exaltetur Christus in corpore meo, sive per mortem* meam, quum interficiant me, *sive per vitam* meam, quum crucient me.

Siquidem vita mea non est ista corporis mei, quam inimici mei intendunt mihi eripere, sed vita mea Christus est, a quo nequeunt me segregare.

Quod si moriar, lucrum est tamen mihi mors mea, quoniam propter Christum morior. Sin autem et hæc vita corporis *mihi fructus animæ est* per opera mea; *quid* mihi de duobus *eligendum sit, ignoro.*

Dissolvi ab isto corpore, ut inter agmina Christi commiscear; hoc sane *multo magis melius* existimo ad consolationem vestram; eo quod a quotidianis passionibus ereptus, cum Christo essem semper.

Permanere etiam *hic carne* bonum existimo ad corroborationem vestram.

Et hoc confidens scio, quia manebo, et *permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, et gaudium in fide.*

Ut quando iterum veniam ad vos, abundet mihi gloriatio hæc; qua per vos glorior in Christo.

Itaque *in nullo terreamini ab adversariis;* experimentum hoc, finis nimirum, *illis est perditionis, vobis autem causa* vitæ, et *salutis* æternæ.

Nec sane pro peccatis multiplicatæ sunt tribulationes vestræ: nam ex dono vobis concessum hoc fuit, *non solum ut in Jesum Christum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.*

Idem certamen habentes, quale et vidistis in me, dum apud vos eram, sicut istud, quod *nunc* a longe *audistis de me.*

II.

Nolite ergo gloriari in tribulationibus vestris: et ille, qui persecutionem passus fuerit plus quam socius suus, non elevetur supra proximum suum; sed mansueto animo et benigno more unusquisque proximum suum arbitretur superiorem se.

Neque quisquam sui ipsius tantum opus persolvat occulte aut manifeste, sed etiam proximi sui.

In hoc enim imitatores eritis ejus, *qui in forma Dei erat*, antequam carnem indueret; *nec rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo,*

Sed semetipsum exinanivit, nam abscondidit gloriam propriam, et formam servi sibi induit; ita ut filius David regis, tamquam servus alapam ultro acciperet; eo tempore, quando factus est ille in similitudinem hominum ex Virgine, non autem ex semine viri; et in forma hominum inventus est, idest in omnibus passionibus carnis, præter illius peccatum.

Et *humiliavit semetipsum* ille, qui æqualis erat Deo, *usque ad obedientiam crucis.*

Propter quod et Deus elevavit, et *exaltavit illum;* non eum, qui exinanivit seipsum et umiliavit, sed carnem illam, qua humiliatus est ipse: *et donavit illi nomen, quod est super omne nomen;* Jesum scilicet. Super quod autem est istud?

Nisi, quod *in* hoc *nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, et terrestrium, et infernorum;* hi sunt mortui, et vivi, et Angeli;

Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus est Jesus Christus in gloria Dei Patris.

Itaque sicut omnino *obedistis* in hoc, sic et nunc, *dum absens sum,* magis oportet vos non confidere in tribulationibus, quas suffertis, sed *cum metu et tremore* vitam vestram salvare.

Non est hoc vestrum, ut superbiatis in his; *Deus est enim,* qui roboratur vos non solum *velle*, sed etiam *perficere* in opere isto, quod *pro voluntate ejus* est, videlicet pro quiete ejus.

Omnia autem facite sine murmuratione, quæ nascitur a vecordia; et sine *hæsitatione*, quæ est fructus derelicti animi.

Sed estote immaculati, et innocentes, et illibati *in medio nationis pravæ, et perversæ;* per hæc namque opera cum sinceritate apparebitis mundo, qui amat opera tenebrarum, *sicut luminaria.*

Maxime autem *verbum vitæ habeatis* in vobisipsis; illud enim est gloria mea in die Domini nostri, magis quam cursus conversationis malæ; quoniam apparebo per retributionem ejus, *quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.*

Sed etsi immolor in votis sacrificiorum *propter obsequium fidei vestræ, gaudeo, et congratulor omnibus vobis,* si hoc digni fueritis.

Idipsum autem et vos gaudete, dum cruciamini, *et congratulamini mihi,* quum hæc opera in me peraguntur.

Ecce itaque Timotheum mitto, ut veniens referat mihi omnia vestra, quod nempe sustulistis, et continentiam habuistis in tribulationibus vestris; ut fiant mihi a vobis læti isti nuncii pro quiete animæ.

Neminem enim habeo tam unanimem, qui clementiam præseferat familiariter pro vobis.

Omnes enim, quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Jesu Christi; qui videlicet pro eo, ut moriantur pro hominibus in solicitudine sibi commendata propter homines, se ipsos solos quærunt acquirere.

Hic autem, *sicut patri filius;* quomodo scilicet honorat, et custodit filius vitam patris sui; ita *mecum servivit in* isto *Evangelio* meo. Quoniam in omnibus locis, ubicumque persecutionem passi sunt *(Christifideles)*, nec permittebat mihi persecutio, ut surgens egomet adirem ad corroborandos

eos, hunc misi in omnes civitates ad confortationem persecutione afflictorum; in cunctis enim civitatibus persecutio erat.

Hunc igitur mitto ad vos, quum de me ipso certus esse queam, idest, mox ut videro, quæ mihi obtingant.

Confido autem in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos.

Sed quia non sinit me violentia, neque Timotheum sinit condignum, *necesse* mihi *fuit mittere ad vos Epaphroditum fratrem, et cooperatorem meum* in Evangelio; *vester autem Apostolus est* ex me, *et minister hujus necessitatis;* pro hisce namque rebus misi eum ad vos.

Quoniam is *propter opus Domini usque ad mortem tradidit animam suam.* Quid autem est opus Christi? nisi quod ausus est ille, et contempsit mortem propter vincula mea, *ut* ipse solus obsequens *impleret* mihi defectum multorum, qui me relicto, abierunt.

III.

Post hæc, postquam nimirum corroborasset ac confortasset illos sustinere magnam tribulationem persecutorum, conversus est admonere eos, ut caveant quoque a mala doctrina Hebræorum. *Non cunctor*, ait, *scribere* vobis, quod cautionem meretur, præservare vos ab illis, qui quotidie veniunt ad conturbandos vos.

Cavete canes illos; illi enim sunt operarii fraudulenti, qui circumcisionem prædicant vobis.

Nos enim sumus circumcisio, qui Spiritus Dei ministri constituti sumus, per spiritualem videlicet conversationem: *et gloriamur in Christo*, qui misertus est nostri, non autem in operibus nostris, quæ justificaverint nos; *neque* gloriamur *in carne* nostra, sicut illi, idest, non in operibus

legis ; neque in circumcisione gloriamur secundum similitudinem eorum.

Si enim confidentia in his rebus esset, in circumcisione, inquam, aut in generatione, magis ego, quam illi, confidens gloriarer in iis ;

Circumcisus sum ego *octavo die* juxta legem, *ex genere Israeliticus, de tribu Beniamin ;* non sum alienus, et peregrinus, sed *Hebræus ex Hebræis, secundum* autem *legem Pharisæus.*

Secundum æmulationem pro antiqua *persecutus sum* Evangelistas novæ ; et *secundum justitiam* in lege prædicatam fui immaculus, et illibatus.

Quæ autem *mihi fuerunt* ibi *lucra, hæc arbitratus sum propter Christum* revelatum mihi in itinere, *detrimenta,* et defectus.

Et usque in hodiernum tempus arbritror ea detrimentum ac defectum, *propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini nostri :* propter quem ab omnibus quæcumque acquisita habebam in lege, me privavi, et velut cremia, et stercora arbitratus sum ea, *ut* solum *Christum lucrifaciam,*

Et inveniar in illo, non ut habeam justitiam meam, quæ ex lege est, in qua gloriantur qui vos docent circumcidi, *sed* ut inveniar in *justitia fidei* Christi, *quæ ex Deo est.*

Hac enim vera scientia cognovi Jesum, et magnam *virtutem resurrectionis ejus,* atque particeps fui *passionum ejus,* quæ circumdantes custodiunt me, *configuratus morti ejus,* qui resurrexit pro nobis :

Ut possim per hæc consequi resurrectionem *quæ est ex mortuis.*

Non quod, quum procul sit promissio, *jam acceperim ; aut* jam non acceperim, quæ non licet homini accipere ; non quod *jam* per istum meum cursum *perfectus sim* ; sed

per persecutiones cæterasque res *sequor*, continuo expectans comprehendere promissa novi mundi, quapropter comprehendidit me utique Jesus Christus.

Non enim *arbitror me comprehendisse,* idest, quasi sufficientes fuere labores vitæ meæ; *unum* tamen hoc verificatum habeo in anima mea, quia *quæ retro sunt*, hæc derelinquens, et *obliviscens,* opera scilicet carnis, quæ erant in lege, oblivioni tradens; *ad ea vero*, *quæ in conspectu sunt,* per cursum spiritualem de die in diem tendens *extendo me ipsum.*

Et adamussim *persequor* metam *destinatam*, promissionem videlicet, ut accipiam *bravium* infallibili victoria *per supernam vocationem*, quæ vocavit me in via Damasci.

Quicumque ergo sese arbitrati fuerint perfecti, quum non oporteret eos id de se putare, sicut ego sentii, sentiant et illi. *Et si quis aliter* præter hæc *sapiat*, quæ ego valde prodesse vobis dixi, *et hoc vobis Deus revelabit.*

Verumtamen quod aggressi sumus, opera videlicet spiritus, quæ incepimus, in eisdem perficiamur, et non veniamus in opera legis.

Imitatores mei estote, nam reliqui illa, neque ultra ad ea redii. Neque me dumtaxat imitemini, sed omnes *qui ita ambulant*, idest secundum similitudinem exempli nostri, quod habetis usque ad hodiernum tempus.

Multi enim sunt ex Hebræis, qui *ambulant* ad docenda legalia; de quibus dum apud vos eram, *sæpe dixi vobis*, *nunc autem et flens dico*, quod Hebræi *inimici* sunt *crucis.*

Et invenerunt sibi per hanc inimicitiam finem perditionis: *quorum Deus venter* suus æstimatus *est,* quippe qui terrenæ promissionis gratia Deum coluerunt; et *gloriam* suam in *confusione ipsorum* obvelatam habebant; idest, in eo ipso, quo mercenarii cunducti erant ventris sui, glo-

riabantur : *qui terrena* sola *sapiunt* in semetipsis, terrenasque legis promissiones.

Nostra autem opera, promissa videlicet, *in cœlis sunt* : *unde expectamus* videre non eum, qui possidere nos facit terram Chananeorum, sed *Dominum nostrum Jesum,* corporum nostrorum vivificatorem ;

Qui reformabit in die resurrectionis nostræ *corpus humilitatis nostræ,* quod intus in inferno (1) fit humus execrandus ; *et configurabit* illud *corpori gloriæ suæ*, *vitæ* scilicet immortalitatis, quam induit ille secundum virtutem constantiæ suæ, *ut possit subjicere sibi omnia* ; idest secundum potentiam virtutis suæ, quam in suo proprio corpore ostendit. Sicut enim renovatum est corpus ejus, ita renovata omnium hominum corpora ei subjicientur.

IV.

Itaque rogo te, Chenisi (2), *germane compar* mi, idest, expulsus, et senex sicut me, ut corrobores mentem Evodiæ et Syntychis ; istæ enim una simul dimicarunt, et participes factæ sunt certaminis mei *in Evangelio,* in persecutione scilicet super me exorta in ipsa vestra civitate eo tempore, quo ego responsum dabam pro Evangelio. Neque illæ solum participes mei factæ sunt in certamine meo, sed etiam *Clemens cum cœteris adjutoribus* ; *quorum nomina* ego non hic descripsi, quia multa erant, attamen scripta *sunt in libro vitæ.*

Gaudete in Domino semper in tribulationibus vestris : *iterum dico, gaudete* in tempore passionum vestrarum.

De hac autem promptitudine diligentiæ vestræ ne

1. Hoc est *in sepulchro.*
2 Forte, Ξένος, vel *Senex.*

confundamini; sed coram persecutoribus, et coram *omnibus hominibus nota sit: Dominus enim*, qui dat nobis virtutem, prope est. *Nihil soliciti sitis,* neque langueatis, sicut ipse dixit; *sed* semper *in oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum*; idest, perseverate.

Quæcumque sunt vera, quæcumque sunt certa, aut *justa*, quæcumque sunt in humilitate;

Quæ et didicistis, et vidistis in nobis; hæc sentite, et *agite.*

Gavisus sum vehementer, quoniam et vos delectati estis curam habere de meis necessitatibus et nunc, sicut procurabatis antea: moram tamen gerebatis quodammodo propter insanias cunctationem facientes, quæ circumdederant vos.

Non quasi propter penuriam gavisus sum, neque quia superabundans aliquid sit circa me, hoc *dico: ego enim didici* per me ipsum, quo sufficere possum, in quibus firmus hodie sto.

Scio humiliari, et vivere in diminutione: *scio et abundare* etsi nihil habeamus: scio iterum imminui, etsi habeam. *In omnibus peritus sum*, *et esurire* sine murmuratione, *et satiari,* ut non regnet super me consuetudo ejus.

In omnibus potens sum in *eo* scilicet, *qui me confortavit.*

Verumtamen bene fecistis, communicantes tribulationi meæ, sive adessem, sive abessem.

Scitis autem et vos, *quod nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dandi ct accipiendi,* sicut *vos* communicastis mihi.

Vos enim non solum penuriam præsentiæ nostræ supplevistis nobis, verum *et Thessalonicam semel, et bis in usum mihi misistis.*

Non quia quæro datum, sed fructum bonorum abundantem in vobis.

Suscepi autem omnia: quum vero abundo, et *repletus sum,* propter charitatem vestram accepi *quæcomque misistis mihi per Epaphroditum in odore suavitatis.*

Deus autem meus impleat omnem necessitatem vestram, occultam videlicet cum manifestis.

Salutem multam accipe ab omnibus sanctis, qui modico tempore Romæ sunt, *nomine autem qui de Cæsaris domo sunt.* Si enim interni [1], et domestici Cæsaris ad discipulatum venerunt, qui porro esset ex vulgo, qui cito non audient verba Apostoli, et crederet? Etenim antequam morti traditus fuisset a Cæsare, dissolvit divisitque a Cæsare domum ejus; et priusquam eum occidissent Romani, ipse festinans multos ex Romanis salvavit.

1. Vel *Eunuchi.*



AD COLOSSENSES.

Colossenses edocti erant ab Epaphrodito, qui ex eis erat. Post hujus instructionem venerunt aliqui ex Philosophis, et Hebræis ad illos offendendos. Hebræi quidem ob legis observantiam cogebant eos; Philosophi autem illis dicebant; Ex dispositione creaturarum factus est hic mundus; non autem ex nihilo, sicut nonnulli vos docent. Porro quum novit Paulus, et didicit ab Epaphrodito hæc duo, quod nimirum acceperant illi Evangelium, et quod frequentarent ad eos Hebræi et Ethnici, aggreditur scribere ad illos, sic dicens in Epistolæ suæ initio:

I.

Paulus Apostolus Jesu Christi, et Timotheus fratres. Nomen fratris una cum Apostolo scripsit in Epistola sua Paulus, ut exemplo manifesto sit sacerdotibus: quamvis enim nomen Presbyteri superior sit Fratre, ipse tamen cum nominibus suis ea, quæ Apostolo inferiora sunt scripsit.

Sanctis, inquit, *et fidelibus.* Sanctos baptizatos appellat, et fideles autem catechumenos nominat.

Gratias ago *Deo Patri Domini nostri*, non autem creatori ac conditori Domini nostri, prævenientibus orationibus nostris pro vobis.

Maximè quando *audivimus fidem vestram* veram *in Domino Jesu Christo, et dilectionem* vestram magnam, *quam habetis in sanctos omnes*, idest in omnes pauperes.

Præsertim *propter spem*, qua expectamus, in cœlis vos accepturos oblata vestra: *quam* non quidem nunc *audistis*, sed antea.

Non enim vobis solis seorsum personarum acceptione, aut velut obiter prædicatum est, sed prædicatum fuit vobis, *sicut universo mundo.* Sicut autem per universum mundum, sic etiam *crescit* hoc Evangelium, *et fructificat in vobis* omnibus. Magis autem abundavit, et multiplicatus est fructus apud vos *ab eo tempore, quo audistis*, et vidistis *gratiam Dei in veritate.*

Sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi; per hujus scilicet testificationem atque intercessionem fidele factum est vobis ministerium Christi.

Ille enim *narravit nobis* non dilectionem vestram carnalem, sed *dilectionem vestram in spiritu,* quam habetis erga nos.

Ideo et nos, ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orare, ut perfecti sitis in hac scientia, *in omni sapientia* non creaturorum, sicut nonnulli vos cogunt, sed in omni *intellectu spiritali;*

Et sitis *fructificantes, et crescentes* insuper non in terrena scientia, sed *in scientia Dei:*

Et *in omni virtute confortemini*, idest ut mihi omnes virtutes solius fidei possitis operare secundum ministerium, quod datum est in medio Ecclesiæ ad gloriam Dei; *in omni* scilicet *patientia* erga persecutores, *et longanimitate* ad promissa,

Ut cum gaudio *gratias agatis* in illa die *Patri, qui dignos vos fecit in partem sortis,* in regnum nimirum cœlorum, quod evangelizatum est sanctis, in mundo luminis.

Et eripuit nos de potestate satanæ offensoris animarum, cujus exemplum sunt tenebræ, quæ offendunt corpus: et transtulit nos, puta, de gehenna parata vobiscum satanæ, ut estis *in regnum,* quod dilectio Filii ejus dedit vobis.

In eo enim *facta est nobis redemptio per* crucem *ejus*, et *sanguinem*, et expiatio *remissionis peccatorum*, idest per sacramentum baptismatis ejus.

Qui per manifesta opera sua *est imago Dei invisibilis;* et ipse est *primogenitus omnis* creaturæ. De carne dixit, quæ ante omnia erat in cogitatione vestientis eam.

Et ipse est caput corporis Ecclesiæ hic et illic; et ipse *est principium resurrectionis*, *primogenitus mortuorum.* Quemadmodum enim quum non esset ille primogenitus morientium, fecit eum primogenitum resurrectionis, sic statuit senioremque effecit, faciens eum primogenitum creaturarum, dum in ipsa ætate Apostoli natus erat. Prætera sicut ignominiæ subjecta est divinitas ejus in humanitate sua, sic honoravit humanitatem suam in sua divinitate.

In ipso, ait, *condita sunt visibilia*, *et invisibilia*, omnia scilicet, quæ facta, atque facienda sunt in utroque mundo; *sive throni, sive dominationes:* aut de regnis terræ dixit, aut de thronis Apostolorum. Dominos autem vocavit illos propter judiciale tribunal regnum, qui propria occidunt, et salvant potestate, ut Deus; vel propter futurum judicium Apostolorum, qui decernunt tributa sua, sicut domini, in ignem æternum. *Sive principatus, sive potestates.* Hoc prævalet in supernos, et inferos, et in exercitum maligni illius.

Et ipse est ante omnes; istud est, quod dictum est: *In principio erat Verbum.*

Et ipse est caput corporis Ecclesiæ; idest, per eum plantata est Ecclesia in terra. Et ipse *est primogenitus mortuorum* opere, sed verbi potestate; *ut sit in omnibus ipse primatum tenens.* Sicut enim prior creaturis est ipse, prior est et universis operibus inferiorum.

Et *in ipse complacuit omnem plenitudinem Dei inhabitare;* aut Patrem in Filio, aut Filium in carne.

Et per eum reconciliare; idest eadem carne reconciliatus est cum hominibus; *pacificans, in sanguine suo per crucem* in semetipso, *sive quæ in cœlis, sive quæ in terra sunt,* superos videlicet cum inferioribus.

Et vos, qui aliquando inimici eratis Dei per mala opera vestra:

Nunc autem reconciliati estis, non in cœlesti corpore, sed *in membris carnis ejus;* et per mortem suam constituit vos *coram se sanctos, et immaculatos*: hoc est, expiati sunt lavacro aquæ, et steterunt in conspectu ejus sine macula.

Si tamen permanetis firmi *in fide* ista vestra, quæ expurgavit vos per aquos baptismi, et immobiles ex seductionibus, et persecutionibus, *et immobiles* sitis *a* promissa illa *spe Evangelii, quod prædicatum est per universam orbem*; *cujus factus sum ego Paulus minister inter Gentes.*

Nihil autem contristor de passionibus, quas passus sum, et patior. Nunc ergo *gaudeo in passionibus* pro vobis, quia implere studeo in carne mea; puta, ut congeriem tribulationis passionum Christi in meipso portem pro vita mundi. Si enim anathema fieri a Christo pro vita crucifixorum vellet, manifestam vitam corporis sui quanto magis traderet ille pro Ethnicis, nimirum pro *corpore ejus, quod est Ecclesia.* Idest, pro corpore Christi volo passionibus corporis mei implere defectum Ecclesiæ ejus;

Cujus factus sum ego minister, non secundum opera mea, *sed secundum mysteria dispensationis* divinitatis vocantis me de itinere Damasci. *Quæ, data est mihi in vos*, idest, *ut* in vobis *impleam verbum Christi.*

Nam *mysterium* hoc corporis, et sanguinis, *quod absconditum erat a generationibus* ex temporibus sæculorum, *nunc manifestatum est sanctis ejus,*

Quibus voluit Deus per lavacrum baptismatis *manife-*

stare, quæ sint *divitiæ gloriæ ejusdem* corporis vivi, *quod est Christus,* qui est vobiscum *spes gloriæ;* quia scilicet speratis in eo, et expectatis gloriam vobis promissam.

Quam et *nos* prædicavimus vobis, et *annuntiavimus* non vobis tantum separatim, sed *docentes omnem hominem in sapientia.*

Et hic est labor meus in jejuniis, et studium certaminis in oratione, et persecutione, perductus a Deo, *qui prævalet in me, in virtute,* quam ille dat mihi, et operationes quas operatur per me: ut confirmem non unum hominem, neque unum populum Ethnicum, sed ut constituam *omnem hominem perfectum in Christo.*

II.

Magnus est labor certaminis, quod ego habeo in orationibus, non *pro vobis* solis, sed etiam *pro Laodiciensibus et pro iis, quicumque non viderunt faciem meam in carne*:

Hoc autem facio *ut* vel absens *consoler corda ipsorum* ex tristitia inimicorum eorum, et ut instruantur a charitate *in omnes divitias plenitudinis*, in fidelitate, non in contentione, et indocilitate, una *cum intellectu agnitionis mysteriorum Dei,* agnoscendo scilicet et mysteria Dei, quia ipse est corpus Christi.

In ipso enim revelati *sunt omnes thesauri sapientiæ,* omnes videlicet promissiones Dei *absconditæ.*

Nemo itaque *vos decipiat* verbis fallacibus.

Nam etsi corpore absens sum a vobis, *sed spiritu adsum vobis;* lætificate me sicut præsentem, non per sola bona opera vestra, sed ut etiam perfecta sit penuria fidei vestræ.

Sicut ergo accepistis Jesum Chistum, puta, Evangelium Jesu Christi, *in ipso ambulate,*

Radicati, et consolidati, ne forte unus ex ventis illis, sive sophistis, sive Hebræis, moveat vos. *Confirmamini* ergo *in fide*, *quam didicistis ;* ut per hanc possitis abundare et *in gratiarum actione.*

Itaque *videte, nequis vos* expoliet hac fide *per philosophiæ perseverationem,* quæ erubescere facit fidem : neque in errorem in perseverantia vanitatis hominum seducamini ; neque per *elementa* hujus *mundi*, idest neque quatuor naturas sequamini ; et arbitremini ab illis omnia facta fuisse, et non ex nihilo ; sed ambulate in doctrina Christi.

Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, non autem in doctrinis hominum, qui sunt per insanias suas habitaculum dæmoniorum. *In ipso* autem *habitat omnis plenitudo divinitatis,*

Et est illo repleta et pinguefacta. Ipsum Domini sui dictum usurpavit, dicentis : *Ego in Patre sum, et Pater in me est. Est* autem ille *caput omnis principatus, et potestatis,* Dominus scilicet, et creator, et dux principatuum, et potestatum.

Atque *in ipso circumcisi estis, non circumcisione* Hebræorum, *quæ fit* istrumentu *manus in expoliatione carnis*, cum videlicet expoliatur membrum circumcisum, *sed in circumcisione Christi ;* ea est baptismus Christi, qui exuit vos veterem humanitatem vestram.

Et *in eo resurrexistis* cum eo *per fidem* ; idest per fidem vestram de resurrectione quasi resurrexistis cum illo, antequam lapsi fuissetis, in virtute Dei. Siquidem propter hoc suscitavit illum a mortuis, ut daret nobis acquirere fidem resurrectionis mortuorum.

Et vos, *qui* olim *mortui eratis in peccatis* vestris, *convivificavit cum illo* in promissione ; et *donavit* dimisitque *omnia peccata* vestra per baptismum.

Et delevit per viva mandata sua *sententiam* peccati in veteri scriptam: omnes enim Ethnici in gladio et in interitu detinebantur ei: et maledictionem legis perstantem contra nos per corpus suum *tulit de medio,* ab omnibus nempe hominibus, *affigens illam ligne crucis,* eo quod ipse fuit pro nobis maledictio. Nec tantum maledictionem tulit, verum etiam nomen divinitatis, quo decorabantur idola, abstulit.

Et expoliavit principatus, et potestates (idolorum), *et palam traduxit,* quoniam edocuit, illa facta esse; et monstravit in illis signa victoriæ suæ. Siquidem non fuerunt satis ad adjuvandos adoratores suis, ne abducerentur ab eis; neque nomen, quo exornati erant, ne illus eo exueret.

Nemo ergo post tot magnos res vobis factas veniens *dimoveat vos* infirmis rebus, *in cibo* videlicet, *aut in potu, aut in neomeniœ festo,* aut annuali festivitate Hebræorum; *hœc* enim cum sabbato *vestigia sunt futurorum* temporum; *corpus autem*, in quo comprehensa ac destinata hæc sunt, *Christus est*, quem nos prædicavimus.

Nequis forte humilitatem mentis nostræ volens imitari veniat, et *seducat vos,* neque transmutet in legem Angelorum, in doctrinam nimirum sacerdotum; quasi aliquid viderit, non ex ipsa Scriptura spiritus, sed ex sensu proprio: *frustra* enim *inflatus* est hujusmodi in adinventionibus suis, quia inventiones *sensus carnis ejus* sunt;

Et non tenuerit a capite Abrahamo; illi enim promissum fuit, quod in semine ejus benedicerentur omnes gentes: *ex quo totum corpus* Ecclesiæ consolidatum *per nexus, et conjunctiones*, cunctis scilicet testimoniis, et omnibus exemplis, quæ a Scripturis spiritus sunt, *construitur, crescitque in augmentum Dei*, idest in augmentum spiritualem, non carnalem.

Si ergo mortui estis cum Christo a creaturi hujus mundi, a terrenis nimirum promissis legis; *quid adhuc tamquam viventes* hic *in mundo* cum isto inficiamini?

Ne tetigeris, inquit, *neque contrectaveris;* idest, ne tetigeris, ait, leprosum, neque contrectaveris fluxu semper laborantem; *neque*, ait, *gustaveris* cibum Ethnicorum,

Hæc enim sunt usus corruptionis, idest, quia in vetustatem, decretionem, et corruptionem abierunt. Fortassis quia illa corrupta sunt, sensus fideles hæc vocavit, non usus corruptionis; *præcepta* illa sunt *doctrinæ,* non Dei, sed *hominum.*

In iisdem autem est et aliqua ratio sapientiæ, et superstitionis: idest, horum gratia sapienter se gerunt et humiliantur, ut per sapientiam, et humilitatem captivent homines in observationem legis, *et non ad parcendum corpori;* nam circumcidunt, et cruciant corpus; non autem in condignum honorem quendam ad plenitudinem carnis: idest, in sensibus carnalibus sunt, quatenus in lege sunt, quæ coinquinat matrimonium in oculis eorum.

III.

Igitur, si consurrexistis cum Christo in fide, *quæ sursum sunt, quærite,* spiritualia videlicet sapite: *ubi Christus est in dextera Dei sedens*, ibidem sint mentes vestræ, non apud terrena legis.

Mortui enim estis a quiete mundi, *et vita vestra est abscondita in Christo apud Deum,* vita scilicet vestra arcana abscondita est in Christo.

Quum Christus revelabitur vita vestra, tunc et vos revelabimini in gloria ejus, quam in adventu suo primo pollicitus est vobis.

Mortificate ergo membra vestra, corpus videlicet veteris

hominis vestri : ut sunt *fornicatio, immunditia, et libidines* dolorosæ *concupiscientiæ malæ*, cum cæteris.

Propter hæc enim venit ira Dei in fine.

Non utique alieni ab istis peccatis vos eratis, sed *et vos aliquando* voluntate *ambulabatis, cum viveritis in illis* omnibus.

Nunc autem expoliate vos veterem humanitatem cum actibus suis.

Et induite novam, quæ renovatur per baptismum, et efficitur sine peccato ad similitudinem imaginis formæ Creatoris sui.

Ubi non est Judæus, neque Gentilis, nec *circumcisio, neque præputium*, nec Græcus, neque *Barbarus*, nec dominus, neque servus : Qualis autem locus est, in quo non sint hæc omnia ? nisi baptisma, et regnum cœlorum ; in medio tamen uniuscujusque eorum *omnia in omnibus* universim *Christus* est.

Induite vos ergo, et sobrii estote, *sicut sancti, et electi* baptismatis, *viscera misericordiæ*, clementer miserti vestri invicem,

Et grati estote propter ea, quæ prius accepistis.

Et verbum Christi habitet in vobis abundanter ad docendos alios quoque : atque pleni gratia estote ad benedicendum ; idest pleni gratia laudent Deum in cordibus suis.

IV.

In oratione memores simul estote et nostri. Vide, quæso, humilitatem Apostoli, quoniam a discipulis suis postulabat ut pro eo orarent, *ut Deus aperiat ei ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.* Ostium autem sermonis vel auris auditorum est, vel signa per eum facienda ; nam per signa aperiebatur ostium, aut per aures

quia inclinabantur ad auscultandum eum. Siquidem *propter mysterium* ejus *vinctus sum.*

Ut manifestem illud, inter sanctos, et loquar eum cum timore et tremore, *ut convenit mihi.*

Cæterum, *quæ circa me sunt*, de tribulatione nimirum apud nos, et de confortatione nostra, atque de gaudio nostro in tribulationibus nostris, *nota faciet vobis Tychicus fidelis minister.*

Propter hoc enim *misi* eum *ad vos*, ut eo declarante vobis de magna tribulatione nostra solatium habeant corda vestra ob minorem tribulationem vestram, quam sustinetis.

Et dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti a Domino, ut plenum perfectumque tradas hoc in manum ejus, qui post te mansurus est in Domino.



AD THESSALONICENSES PRIMA.

Paulus postquam persecutionem passus est in civitate Philippensium, venit Thessalonicam, quum edocuisset Thessalonicenses, qui ejus verbum susceperant. Quum autem vidisset Paulus quosdam ex illis, haud recte ambulare juxta primam doctrinam suam, continuit se accipere aliquid ab illis; et necessitas ejus a civitate Philippensium, unde expulsus fuerat, implebantur. Sed quando venit ipse Athenas, audivitque propter persecutionem surgentem in Thessalonicenses, misit Timotheum ad fortificandos, et roborandos eos, utque adferret sibi illinc notitiam eorum. Quum autem rediit Timotheus, et retulit Apostolo de patientia eorum; et quia contristati illi erant, non propter tribulationes suas, sed ob aliquos ex eis defunctos, suscepit Apostolus scribere ad eos ex Athenis, sic dicens:

I.

Paulus, et Sylvanus, et Timotheus. Attende, et vide, qui præ humilitate sua oblitus est nominis apostolatus sui, et illos, qui participes sociique sui erant in onere et labore Evangelii, æquali sibi honore decoravit sub initio Epistolæ suæ.

Ecclesiis, ait, *Thessalonicensium in Deo Patre,* qui abstulit remotionem Gentium in adoptionem: *et* in *Domino nostro Jesu Christo,* qui fecit nos sibi cohæredes.

Gratia vobis et pax: idest, gratia, quæ est vobiscum, auxiliatrix sit ad roborandos vos in tempore persecutionis vestræ; et pax sit inter vos in tempore requiei vestræ.

Gratias agimus Deo semper, non pro quibusdam vestrum, sed *pro omnibus, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione* pro vobis coram Deo ; ut nempe prævaleatis.

Memores sumus non obiter vestri, sed *operis fidei vestræ* propter promissa, *et laboris charitatis* vestræ, quam habetis erga fratres vestros, *et sustinentiæ* tribulationis vestræ, quæ est propter veram spem in Domino nostro Jesu Christo: *ante Deum Patrem* referimus hæc.

Scitis, fratres, quia a *Deo est electio vestra,* vocatio scilicet vestra.

Quia evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute. et in Spiritu sancto, et in plenitudine multa; idest, in virtute signorum et in novis linguis spiritus, et in abundantia charitatis. Quamquam autem ita fuerimus inter vos, haud tamen elati sumus supra aliquem vestrum ; *sicut* et vos *scitis*, *quales fuimus per humilitatem in vobis propter vos.*

Et vos imitatores nostri facti estis, *et Domini:* idest, imitatores nostri fuistis persecutionibus vestris, Domini autem, per passiones vestras ; quoniam *excepistis verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti.* Hoc est, etsi verbum cum tribulatione habita suscepistis, gaudium tamen commixtum ei erat propter propitiationem, et virtutes Spiritus sancti, quas accepistis ejus causa propter eum.

Ita ut persecutione vestra exemplar bonum *facti sitis omnibus credentibus*, *non solum in Macedonia, et in Achaja* ; *sed et in omni loco fides vestra,* quæ est per persecutionem vestram probata, sparsa fuit. Sic enim nominati estis, et comperti, ut non habeatis opus docendi vos de quopiam.

Ipsæ enim regiones *annuntiant de nobis, qualem introitum* pedum *habuerimus ad vos* in puritate, et humilitate,

atque retulerunt nobis, *quomodo* per signa virtutesque, quas vidistis in nobis, et per verbum vitæ, quod audistis a nobis, *conversi estis ab idololatria* ad Deum ; ut pro eo, quod serviebatis mortuis simulacris, *serviatis Deo vivo, et vero,*

Et expectetis, sicut vos docuimus, *Filium ejus de cœlis,* ipsummet *Jesum,* in cujus resurrectionem credidistis; *qui erìpturus est vos ab ira ventura,* a futura scilicet ultione.

II.

Nam ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit:

Sed per contumelias, et tribulationes: prius enim cruciati sumus, et ignominiam *passi sumus in Philippis, sicut* et vos *scitis,* et oculis vestris vidistis tormenta passionum, quæ nobiscum ingressa sunt in civitatem vestram. Quum autem *fiduciam habuimus in Deo nostro*, in verbo videlicet Dei nostri, *loqui ad vos,* in magno certamine, in magna nimirum persecutione annuntiavimus vobis *Evangelium Dei.*

Exhortatio autem illa consolatione plena, qua exhortavimus vos, ut veniretis ad Evangelium, *non de errore erat*, sicut testificantur virtutes a nobis factæ, *neque de immunditia,* sicut apologiam agit pro nobis puritas mentis nostræ ; *neque in dolo,* ut testantur sinceritas, et innocentia nostra:

Sed sicut electi *et probati sumus a Deo;* qui nihil ex hisce recensitis est in nobis, *ut crederetur nobis Evangelium:* et *ita loquimur* in sanctitate, ac veritate, *non quasi* vobis, aut aliis *hominibus placentes*, *sed Deo, qui probat* cum sermonibus et *corda* loquentium.

Istud *scitis*, fratres, quia *nunquam fuimus in sermone adulationis; non* enim *in occasione avaritiæ* accessimus ad quemdam ex vobis.

Nec quærimus gloriam tempore signorum nostrorum, aut in hora tribulationis nostræ, *neque a vobis,* sicut et vos testes estis, *neque ab aliis:* et de his, quæ propter alios sunt, etsi vos non sitis testes, Deus tamen testatur.

Poteramus quidem rite nosmetipsos graviter et honorifice commendare tamquam homines, qui electi fueramus *ut Christi Apostoli* essemus; *sed facti sumus* per mansuetudinem, et benignitatem *in medio vestrum* sicut pueri *parvuli* in hora doctrinæ, *tamquam si nutrix foveat filios suos.*

Ita delectati commiseratione usi sumus erga vos, *ut traderemus vobis non solum Evangelium* vivificum; *sed etiam animas nostras* dedimus vobis in tribulationibus civitatis vestræ. Propter vitam salutis vestræ sustinebamus passiones, et omnia quæ in nobis erant cum anima nostra dedimus vobis: *quoniam charissimi nobis facti estis* plusquam dilectionem filiorum in nutrice.

Memores enim estis, fratres, quia propriis manibus laborabamus *nocte ac die;* idest, si erat locus verbo nostro, die laborabamus, ac nocte: sin autem aperiebatur nobis ostium Evangelii nocte, laborabamus die. Hoc autem nobis elegimus, *ne quem vestrum gravaremus* ullatenus omnino.

Vos sane *testes estis* de manifestis nostris, *et Deus* de occultis nostris, quomodo prædicavimus verbum Dei in medio vestrum *sancte, et juste.* Sancte, quia non pro gratia substantiæ vestræ; et juste, quia in nulla re aliena ab Evangelio, quod prædicabamus, nequivistis accusare nos.

Quum autem in omnibus immaculati fuimus inter vos, vos ipsi *scitis, qualiter unumquemque vestrum sicut pater filium suum, deprecabamus* in hora disciplinæ, *et consolabamur* in tempore tribulationis vestræ, *testificati, ut ambuleretis digne Deo* in tempore electionis: quoniam per optimam conversationem potestis dignos fieri gloria quam perdidistis, et paradisum, de quo expulsi estis.

Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam etsi *verbum* à nobis audistis, non tamen ut ab homine, sed majestatem verbi aspicientes *accepistis* illud, sicut vere verbum Dei ; qui prævalet inter vos credentes, idest corroborat, et auget intellectum credentium in se.

Sed nolite contristari vos, eo quod persecutionem passi estis ab ipsis fratribus vestris, quoniam existunt socii vestri in his. Neque moleste feratis : si enim raptæ fuerint et domus vestræ, habetis participes ac sodales in hoc quoque. *Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa : quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judæis,*

Ab illis, *qui* non solum *Jesum Christum occiderunt,* ut dicerent : Pro æmulatione interfecimus eum, verum *et Prophetas* cæciderunt, *et nos* Apostolos *persecuti sunt, et Deo* operibus suis *non placuerunt*, sed ab oculis ceciderunt ; per ipsa enim *adversarii facti sunt omnibus hominibus ;*

Prævalentes enim studebant illi *prohibere,* et præcidere Evangelium ab universis *Gentibus :* quique obstaculum nobis ponebant tribulationibus, quas suscitabant super nos in omni civitate, ne cum Ethnicis loqueremur verbum Dei, *ne* forte *salvi fierent ; ut* per hoc *impleatur omnino mensura peccati* eorum, et *perveniat super illos finis iræ in* consummatione ; idest, attingat eos ultio justitiæ in fine.

Nos autem etsi orbati sumus vobis *ad tempus,* absentes videlicet fuimus *ab aspectu* vestro, *non* tamen *cordibus,* sed oculis ; neque diutius, sed ad tempus. Ipsaque hæc mora atque absentia a vobis, *abundantius* optare nos fecit *faciem vestram videre cum magno desiderio.*

Et *voluimus* quidem *venire ad vos semel, et iterum ;* sed impedimentum nobis fuit a satana, qui impediens me prohibuit, neque permisit mihi usque ad hanc diem seminare verbum vivificationis inter Athenienses mortuos.

Quæ enim est nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ in hora resurrectionis, nisi vos?

Vos enim estis gloria nostra magis, quam opera conversationis nostræ; vosque ipsi estis *gaudium* nostrum magisquam merces retributionis nostræ.

III.

Tam etsi non potui venire ad vos, nec tamen a vobis sustinui amplius: *placuit* ergo *mihi remanere Athenis.*

Quamvis autem multi coadjutores necessarii erant hic mihi, *misi* ad vos Timotheum, qui adjutor meus est in Evangelio Dei, *ut* ipse Timotheus veniens *confirmet vos,* fortificet scilicet vos *et exhortetur fidem vestram.*

Ut nemo vestrum *moveatur ob tribulationes* sibi circumstantes: quoniam in hoc ipso confirmati sumus, idest, pati, et sustinere.

Nam et prius *diximus vobis*, et præparavimus vos tamquam per prophetiam, qua tribulationes superventuras esse super nos; *sicut et factum est*, *et scivistis.*

Propterea et ego amplius non sustinens, misi ad vos *ad discendum*, *ne forte tentaverit vos is, qui tentat,* et conversi fueritis in idololatriam, *et inanis fiat labor noster* apud vos.

Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, et annuntiante nobis fidem vestram in Deum, *et charitatem* erga nos, bonamque memoriam, quam habetis de nobis, et quia semper *desideratis nos videre, sicut et nos quoque vos;*

Consolati sumus in tristitia nostra, quæ nos et adhuc circumdat, et requievimus a tribulationibus nostris, dum adhuc nos obsederant.

Nunc itaque *vivimus* coram Deo, *si* solummodo *vos* firmi *statis* in ipsa fide Domini nostri.

Quam enim aliam *gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro omni gaudio*, quo lætificat nos bona fama vestra?

Verum etiam oramus coram Deo, *ut videamus faciem vestram, et* per confortans verbum nostrum *compleamus* defectum *fidei vestræ.*

Ipse autem Deus aperiat, et *dirigat viam nostram ad vos* de medio eorum, qui moram fecerunt verbo nostro;

Et *multiplicet charitatem vestram,* quam habetis *ad invicem,* atque coæquet huic charitati nostræ, qua nos dileximus vos.

Et *confirmet corda vestra sine querela,* ut permaneatis *in sanctitate* illa, qua induti fuistis a baptismate, et cum illa obviam estis Domino nostro in die, quando veniet ille *cum omnibus sanctis suis.*

IV.

Porro *quemadmodum accepistis a nobis,* idest secundum exemplum, quod in nobis vidistis, *sic ambulate* condigne *placere Deo.* Non quia non ambulatis ita, hæc dico; sed *ut abundetis magis* ac magis.

Ad hoc exhortor vos; *hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra* ab omni immunditia idolorum, atque ut *abstineatis vos* ab omni *fornicatione;*

Ut sciat unusquisque carnem suam servare in sanctificatione, et honore; ut scilicet custodiat eam ab omni damno, sicut decet sanctitatem, qua indutus est ab aquis baptismi.

Ne coinquinetis itaque in cupiditatis libidine carnem expurgatam; *sicut* cæteri *Ethnici, qui ignorant* adhuc *Deum.*

Non enim vocavit vos Deus in immunditiam, in qua

perseverabatis, *sed* ab illa immunditia deduxit vos *in* hanc *sanctificationem*, in qua hodie statis.

De charitate autem fraterna etsi minime oporteat *scribere vobis; ipsi enim vos id agebatis;*

Attamen *ut magis* ac magis *abundetis* in augmentum, edocemus vos.

Utque sciatis operari, scribo vobis absens, *sicut præcepimus vobis præsentes:*

Neque ullo modo velut *ignorantes sitis de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri* Gentiles; *quia* nec resurrectionem habent, *neque spem habent* promissam.

Si enim credimus nos in resurrectionem Christi; credamus ergo, *quod adducet Deus cum eo* in ejus adventu *eos, qui dormierunt per Jesum,* per fidem scilicet Jesu:

Hoc autem dico vobis, fratres, non quasi ex nobis, sed sicut *ex verbo Domini* nostri, quod est in ipso Evangelio: *quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non prævenimus* per volatum nostrum in altum; non prævenimus videlicet mortuos jam *dormientes.*

Descendente enim Domino nostro de cœlo in sono tubæ Archangeli, antequam novis alis adornati fuerint justi viventes, prius fiet resurrectio mortuorum in Christo.

Deinde nos, qui vivimus, rapiemur, non ante eos, sed *cum illis,* neque sine eis, sed *simul, in nubibus obviam Domino* nostro *in aëra: et sic semper* omnes nos æquali justitia *cum Domino erimus.*

Itaque consolamini, ædificamini nimirum, *invicem in verbis istis;* spei namque sunt plena.

V.

De annis autem, et *temporibus*, fratres, quando scilicet sit horum tempus, aut quando erit tempus Antichristi, minime oportet hæc scribere vobis.

Ipsi enim per vos *scitis*, sicut didicistis etiam hæc a nobis; quoniam et nos ex ipso Evangelio Domini nostri didicimus, *quia dies Domini, sicut fur in nocte, quum* nullus sentit in ea, ita veniet.

Quum enim dixerint, ecce *pax* est, *et securitas;* eo momento quo existimant securitatem esse, *tunc eis repente superveniet interitus; sicut dolor* ex improviso *percutiens prægnantem; et non effugient eum.* Istud est quod dixit Dominus noster: Sicut fuit in diebus Noë, et Loth, quia edebant, et bibebant, uxores ducebant, et nubebant viris, donec supervenit eosque simul interemit diluvium, et ignis.

Vos autem, fratres, non estis tenebrarum, in operibus videlicet tenebrarum, *ut vos die illa tamquam fur comprehendat.*

Utpote *filii lucis* in operibus lucis præparati estis, et ipsam diem revelationis expectatis.

Igitur ne demus nos somno ab operibus conversationis, *sicut et cæteri,* qui non expectant illam diem; *sed vigilemus* operibus nostris, *et sani simus* fide nostra.

Qui enim dormiunt, et inebriantur, nocte dormiunt, et inebriantur; idest, omnia opera luci contraria in nocte illi operantur.

Nos autem, qui filii diei sumus, filii scilicet Evangelii sumus, *sobrii sumus* ad operanda bona; et *induamur perfectionem fidei,* fidem nimirum, *et charitatem* perfectam: ponamus *galeam spei salutis* vitæ.

Quoniam non fecit nos (Deus) *ad iram,* ad perditionem

videlicet, *sed ad salutem* vitæ. Vel, ut salvemus animas nostras a contagione cupiditatum, et vivamus in Domino nostro: vel, ut salvemur per eum ad vivendum cum eo in resurrectione.

Ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus; idest, sive vivi simus, sive mortui, simul cum eo volare nos faciat.

Itaque *consolamini invicem, et ædificate alterutrum* hisce verbis; *sicut et* antequam scripsissem vobis, hæc ipsa faciebatis.

Noscite eos, qui laborant inter vos per opera sua, *et* eos, qui *præsunt vobis in Domino*, qui nempe obsecrant Dominum pro vobis; et qui edocent vos doctrinam vitæ.

Abundantiori charitate familiares vobis illos reddite, et *propter opus illorum,* idest, propter bonam eorum conversationem adjungite vos illis; ut emolumentum assequamini ab illis.

Corripite, ait, *inquietos,* qui otiosi ambulant, et nihil faciunt, nisi inania: *Consolamini pusillanimes,* qui in luctu erant propter obitum dilectorum suorum: *visitate infirmos* in fide, et *longanimes estote* ad omnes, qui indigent auxilii vestri.

Videte, ne vexantibus vos *malum pro malo reddatis: sed semper bona sectamini,* non solum *in invicem*, sed etiam *in omnes.*

Et in omnibus *gaudete*, in tribulationibus videlicet vestris.

Et *in omnibus gratias agite,* idest de tribulationibus vobis factis, et de quiete vobis obtingente: propter omnia quæ obveniunt in vos, grati estote: *ex voluntate enim Dei* proveniunt ab illis ad correptionem, et ab illis ad examen probationis.

Spiritum nolite extinguere; eos nimirum, qui loquuntur in linguis spiritus, ne faciatis tacere.

Et *prophetias* antiquas, aut istos qui digni effecti sunt, ut prophetæ fiunt in vobis, *nolite spernere.*

Omnia per novum *probate; et quod bonum est*, idest, quod adæquatur Evangelio, illud *tenete.*

Et *ab omnibus malis,* quæ aliena sunt a novo, *abstinete vos.*

Ipse autem Deus pacis sanctificet vos, perficiatque, usque ad finem nimirum consummationis. Integrum *spiritum, et animam, et corpus vestrum servet sine macula,* idest ab ipso baptismo usque *ad adventum Domini nostri.*

Fidelis est Dominus noster, *qui* ipse ita *faciet;* et permanebitis a baptismate usque ad revelationem Domini nostri.

Obsecro vos, fratres, ut legere faciatis hanc Epistolam coram omnibus fratribus; puta, quum congregata fuerit omnino omnis Ecclesia; quoniam per hanc infirmi corroborantur et per hanc lugentes consolantur; per hanc crescunt probi, et qui otiosi ambulantes inania sectantur, per hanc fortassis reprehensi instruuntur.



AD THESSALONICENSES SECUNDA.

Postquam acceperunt Thessalonicenses primam Epistolam legissentque in medio populi, sicut præceptum fuerat eis, otiosi sectatores inanium pro laborando et manducando juxta mandatum eis datum, abundarunt decipere, et seducere proximos suos, ut illos, qui erepti erant ab apostasia, variis artibus captos in errorem fallaciæ adducerent. Diabolus namque Thessalonicenses tentavit persecutionibus, quas semel, et iterum suscitavit in illos: et quia renuebant negare Christum, ipsos otiosos, errantesque fecit præcones adventus Domini; ut nempe per adventum, quem prædicabant mox futurum, commoverent, et detinerent expectantes hujusmodi adventum, commoverent detinerentque a vero adventu, quem expectabant. Isti autem eorumque socii, quorum potitus erat satanas, visiones quoque falsas fingebant, et fallacibus verbis vulgus exhortabant; necnon epistolas scribebant nomine Apostoli, et legebant coram illis, ut illos omni artificio averterent saltem ab adventu Domini nostri, quum nequirent illos ab ipso Domino avertere. Quorumdam enim ex illis dominabatur hæc infirmitas ab ipso principio: quare et in prima sua epistola commonuit eos, dicens: De annis, et temporibus nihil oportet scribere vobis. Sed quum didicit, et intellexit Paulus reviguisse fallaciam per eos, qui omni studio illam prædicabant, rursus aggreditur scribere eis, sic dicens:

I.

Paulus et Silvanus, et Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

Quanto magis vituperandi, pudoreque pleni erant Gentiles reprobati, ita ut propter errores suos fallaces in gladium, et interitum destinati erant, adeo dilexit eos Deus, ut conversis illis, Pater sit vocatus eorum, quibus olim neque Deus nominari voluisset.

Gratia, ait, per Evangelii gratiam, quæ vobiscum est, *et pax a Deo Patre nostro, et Domino* nostro *Jesu Christo,* non autem per Dominum nostrum Jesum Christum.

Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, quoniam audimus, quod *supercrescit fides vestra* per patientiam vestram, *et* de die in diem *abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem* vobis diligentiam habentibus:

Ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur apud omnes Ecclesias, ut per vos æmulationem aliis immittamus ad imitandos vos, narrantes de fide vestra, quod vos in nulla re conturbamini aut dimovemini; et *de patientia vestra* non in una tribulatione, sed *in omnibus* tribulationibus vestris, et *persecutionibus* vestris *quas sustinetis.*

In exemplum justi judicii Dei: idest, quia prædicatur per patientiam vestram justum judicium Dei. Non enim gratis hæc sustinetis, sed *ut* per hæc *digni efficiamini regno Dei, pro quo et patimini,*

Justum enim *est coram Deo facere retributionem*, idest rependere in fine consummationis iis, *qui vos tribulant, tribulationem*:

Et vobis, qui in hoc mundo juxta tribulationem nostram *tribulamini,* et sustinetis in patientia, *erit requies nobiscum in die revelationis* ejus, pro quo vos et nos per-

secutionem patimur. Qui sane venturus est *de cœlo,* non in humilitate secundum primum adventum suum, sed *veniet* in majestate sua *cum Angelis virtutis ejus,*

Non autem veniet ille, ut judicetur; sed veniet *in flamma ignis* ad reddendam in judicio *vindictam iis, qui non noverunt Deum,* Ethnicis, qui adhuc noluere noscere Deum, *et* Judæis *qui non obedierunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi.*

Nam *illi dabunt* jus, reddent vindictam, non *pœnas* temporales, non enim sæculum est illud temporale, sed *in interitu æterno, a facie Domini* nostri Jesu Christi, qui ignominiam passus est, et contumeliis affectus est ab illis: *et a gloria virtutis ejus,* a gloria videlicet, qua induti fuerint Angeli, et Virtutes circa eum.

Quando autem erit hoc super impios? *Quum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt:* idest, quando fulgebunt justi sicut sol in cœlos, et recipient fideles miram retributionem suam, in hoc quia fuimus ad vos, *in die illa* apparebitis, *quia hic creditum est testimonium nostrum super vos.*

Ideo petimus in oratione nostra pro vobis, *ut dignetur vos Deus vocatione sua:* hic enim vos vocavit, invitavitque per nos; utque *impleat* in fine *omnem placitum bonitatis, et* omne *opus fidei in virtute* Dei; idest, retribuat vobis in consummatione, non pro opere fidei vestræ dumtaxat, sed etiam pro bonitate complacentiæ vestræ, etsi non fuissetis sufficientes propter infirmitatem vestram perficere illam operibus.

Ut glorificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis et illic, sicut et hic; et nos glorificemur per conservationem vestram *secundum gratiam Dei, et Domini nostri Jesu Christi,* quæ vocavit nos, et corroboravit ad prædicandum Gentibus.

II.

Porro per *adventum Domini nostri,* pro quo vos laborastis, et propter *nostram congregationem* credentium, quando nimirum colligemur *in ipsum,*

Ut non cito conturbemini a sensu vestro ex falsis relationibus, quas spargunt in auditum aurium vestrarum ; neque confundamini ullo modo *in spiritu ;* idest, neque ex falsis visionibus, quas ostendunt vobis, aut ex commentitiis sophismati verbis quæ dicunt vobis, neque per falsas epistolas minime a nobis scriptas, *tamquam per nos missas.*

Ne quis ergo *vos seducat* uno quodpiam ex hisce similibus, neque existimetis, quod jam pervenerit dies Domini nostri : *quoniam nisi* prius *venerit,* non unus ex ejus prophetis, aut multitudo apostolorum ejus, qui venturi sunt ante apostatam illum ; verum donec fiat consumptio prophetarum, et apostolorum ejus, qui mittuntur ante eum, et post illos venerit ipse apostata, *et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis,* atque deinde erit adventus. Apostatam autem appellavit illum, ut monstraret, quod tamquam rebellis defecit ille ; et quando voluit, et propter quod voluit, descivit. Hominem autem peccati nuncupavit eum ut declararet, quod per hominem venit ille, non in forma hominis ; adventum enim Domini nostri imitatur ; per hominem veniens, non ex Gentibus, sed ex ipso populo, et ex tribu Judæ ; neque in præputio, sed in circumcisione : ut generationis suæ ac circumcisionis prætextu captivet populum, qui in his quidem eum venturum aspiciebant.

Præterea, filium perditionis eum vocavit, ipsum hominem nominans filium perditionis : pro eo, quia prævaluit vocari inventor Gentium, vocavit ipsum filium perditionis, idest filius diaboli perditoris.

Qui adversarius est, supernorum videlicet, et inferiorum, Dominique universorum: *qui* ait, *extollitur*, non supra istos, sed *supra omne, quod* nomine tenus *dicitur Deus, aut colitur*. Honorat ipse Deum, ut alliciat sibi crucifigentes, et vituperat aspernaturque omne, quodcumque vocatur Deus, aut colitur, ut possit mentem captivare veracium.

Sic ergo venit, et ingreditur *templum Dei*, ut *sedeat*, intus videlicet in Ecclesiam Dei: non enim declinat ille in aliquam domum alicujus ex hæreticorum sectis, ne forte manifestus sit; sed omnes cultus reprobans contemnit, ut Ecclesiam captivare possit: quia nimirum veniens ingreditur ipsum templum Dei, ut sedeat, *et ostendat se esse tamquam Deum*. Quo autem pacto apparere faciet, quod Deus verus sit? Præter gloriam indutam, et honorem, quem præsefert, apparere potius facit per inimicitiam, quam gerit contra hæresum sectas. Quia porro non declinat ad alicujus hæresis tabernaculum, per charitatem habitam erga Ecclesiæ pueros, facit existimare, quod diligat illos sicut veros, et in templum eorum accedit sedere, tamquam in templo veritatis, ut ostendat se Deum esse. Improbat ille hypocrisin in artificio, et induit formam veritatis in dolo: sic enim callide simulat se, ut populum per res carnales captet, et Ecclesiam sub forma veritatis regat.

Non recordamini, ait, *quod quum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis?* vide ergo, quod multum temporis fueret, ex quo Thessalonicenses erant hisce verbis edocti.

Nunc autem, inquit, vos ipsi *scitis* præsentia, quia revelatur ille *in suo tempore*: quoniam scilicet prævaluerat apostolatus, et post eum ingressura est doctrina usque ad diem, in qua revelabitur Filius in suo tempore.

Nam mysterium iniquitatis jam præveniens *obtinuit* prius; et hactenus nondum intravit doctrina: apostolatus

autem hucusque tempus suum non implens, jam præsumpsit vigere: *donec tamen qui nunc tenet,* non tollatur de medio, iniquus non revelabitur; sicut festinabat Dominus noster venire judicare omnes Gentes; eo quod hactenus Gentibus non est evangelizatus; atque primus cultus nondum finem accepit, quum templum ipsum stet, et sacrificia adhuc offerantur, et circumcisio progrediatur; et Ecclesia nondum ædificata sit: nam et ipsi Apostoli intrabant in templum ad orandum, etsi in cœnaculum venientes frangerent panem. Si ergo templum suis ministeriis ornatum stabat, tamquamsi Ecclesia nondum inchoata fuisset etsi inceperat: quum enim evacuabitur domus illa, et finem habuerit officium muneris ejus, principium fiet prædicationis Evangelii. Itaque si Evangelium non venerit, quia vetus ministerium adhuc tenet, quomodo antequam novum prædicatum sit, et vetus tacens cessaverit, revelabitur ipse ad vindictam capiendam de iis, qui non obedierunt, dum adhuc non est evangelizatus? Et ubi est illud, quod dictum est: *Egredimini ad omnes Gentes, et docete?* aut illud: *primum prædicetur*, idest ante revelationem Antichristi annuntietur Evangelium istud per omnem mundum? Nisi ergo evacuetur antiquus cultus, qui nunc tenet, per destructionem civitatis jam paratam; et nisi detineat se insuper apostolatus, qui nunc prædicat, et ingrediatur post ipsum doctrina, non veniet dies Domini nostri, quam seductores isti fallaces hodie venisse vobis prædicant. Sed sicut exstabat tempus veteris, et non transiit prophetia, nec ignis, neque sacrificia, neque cornus unctionis, donec venit Christus; ita a nullo impeditur tempus datum prædicationi novi, nisi perficiatur, sicut et perficitur tempus prioris. Quando ergo perficiat Apostolatus inobedientem potestatem, quam accepit ille per verbum prolatum: *Exite ad omnes Gentes*,

et intret doctrina, et perficiatur ejus quoque tempus, atque perficientur homines per prædicationem Apostolorum, et per doctrinam sacerdotum, tunc demum conceditur Apostatæ venire in examen probationis hominum.

Sed non adeo prolongantur tentationes ejus ; quoniam mox post eum *revelabitur Dominus noster*, ne evacuet terram virtutibus suis, et signis, et machinamentis artificiosis etiam ab electis, et justis. Ipse enim *Dominus noster destruet eum revelatione adventus sui.*

Illius namque *adventus est in omni virtute, et signis, et* variis *prodigiis mendacibus.* Porro quum dicit Apostolus venire eum in omni virtute et signis, nemo putet, quod sit aliquid, quod ille non faciet ex diversis simulationis et mendacii signis, sicut magi Aegyptiorum ; immo plusquam illi, monstrabit.

Et in omni seductione iniquitatis veniet, *ut perdat*, et deperdat, non fideles, quia istos prævenit adventus benefactoris, sed *illos, qui non receperunt verbum veritatis,* idest, crucifigentes, quia noluerunt recipere Evangelium, qui invenit perditos. *Ideo,* ait, *mittet illis Deus fallacem virtutem, ut credant mendacio :* idest, permittet Deus venire eum, quem expectabant.

Quoniam vero *non crediderunt veritati,* ut salvi fierent, credunt mendacio, ut pereant. Non sane in adventu ejus pereunt crucifigentes, ut impediat, et non veniet : nam ante adventum perditi erant ; cum enim, qui venit pro salute mundi, blasphemiis blasphemarunt. Judicabuntur itaque illi, et objurgabuntur, quod quemdam crucifixerunt, quemdam autem receperunt. Mittitur ergo eis iniquus ille, non ut vi cogantur, et credant in eum, sed ut si complacuerint crediderintque, pereant. Porro judicantur illi ob culpam, quia reliquerunt virtutem veritatis, et discipuli fuere signorum

mendacii: reliquerunt eum, de cujus adventu prophetæ omnes testati sunt, et currentes confugerunt ad eum, quem Moyses, nunquam memoravit, et de quo nullus prophetarum scripsit.

Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, quod *elegerit vos in salutem* vitæ. Idque testatur *sanctificatio Spiritus*, quam induistis ex illis aquis, et *fides veritatis*, quam habetis.

In qua et vocavit vos per Evangelium nostrum in congregationem gloriæ suæ; puta, in congregationem novissimam, qua congregabuntur justi ab universis partibus in die Domini nostri Jesu Christi.

Itaque firmi *state, et tenete* mandatum doctrinæ, *quam didicistis* a nobis, *sive per sermonem,* quum præsentes eramus, *sive per Epistolam nostram*, quam scripsimus absentes.

Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus Pater noster, *qui dilexit nos, et dedit* nobis *consolationem æternam*, idest, pro sacrificiis temporalibus, quæ data sunt primis, et transierunt. Consolationem autem pro sacrificiis in officio æterno dat nobis: nam etsi adventus primus evacuavit sacrificia prima, nostrum tamen sacrificium, quod ipsum est solatium nostrum, neque in ipso adventu secundo impeditur; imo adventus ipse plusquam quod est superabundare illud faciet. Dedit ille nobis *et spem bonam*, ut per eam consoletur *corda* nostra ex tristitia persecutorum.

III.

Memores nostri estote in oratione vestra, fratres, *ut sermo Dei currat* in suscipientibus eum, *et clarificatur* per opera auditorum ejus in omnibus locis, *sicut et apud vos.*

Et ut liberemur ab iniquis et *importunis hominibus*, a persecutoribus videlicet, et hypocritis : *non enim omnium est fides*, quamvis nos in charitate nostra omni cuique prædicare studemus,

Et Dominus *expurget corda vestra* ab istis sollecitudinibus, atque ab omnibus cupiditatibus *in charitate Dei.*

Præcipimus vobis, *fratres*, tamquam Apostoli Christi, *ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate.*

Quemadmodum et oportet vos imitari nos ; nunquam enim inquieti fuimus inter vos ;

Neque unquam *gratis panem manducavimus ab aliquo*,

Non quasi non habuerimus potestatem aliquam hujusmodi, laborantes, et fatigantes ; *sed ut nosmetipsos exemplum daremus vobis ad imitandum nos.*

Sive ergo imitationis forma sit, fuimus ; sive verborum opus sit, diximus ; sive Epistolarum, scripsimus, quod *quicumque noluerit operari*, *nec manducet.*

Audivimus enim nunc, *quosdam inter vos inquiete ambulare*, *nihil operantes*, sed sectantes calliditatem, et otium ; proximis damnum ferentes, et animas suas immense interimentes.

Iis ergo, *qui ejusmodi sunt*, mandatum unum damus, et *observamus*, *ut cum silentio operantes*, *suum panem manducent.* Ex hoc, quod dixit, cum silentio operentur, arbitrati sunt ex illis fuisse, qui prædicabant de die Domini, quod pervenerit, dicentes : Quid faciemus, quia jam pervenit adventus Domini ; ita ut non ipsi dumtaxat minime operarentur, sed et aliosquoque ab opere detinerent.


Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes cuicumque oporteat.

Quod si quis non obedit verbo nostro, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur :

Nolite tamen *quasi inimicum existimare* eum, ne privetur utilitate, quæ dat ei acquirere proximum utilem, *sed corripite* eum contristati *ut fratrem,* tamquam membrum unum decisum, et rejectum a perfecto corpore.

Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem semper in omnibus ; idest, quam semel accepistis et facitis in charitate, fiat utrumque.

Quia vero scripserunt illi litteras meo nomine, etlegerunt coram vobis, salutationem hanc *meam manu Pauli* scripsi, et *cunctis Epistolis* meis hoc *signum* pono. Deinceps itaque omnes litteræ, quas adducunt ad vos, et hoc signum non fuerit in iis, superfluæ, et inutiles a vobis censeantur.



EPISTOLA AD HEBRAEOS.

In ipso hujus Epistolæ principio fluctuatio, et quæstio accidit nobis ad dignoscendum, curnam, sicut in omnibus Epistolis suis, non scripserit nomen suum Paulus in hac Epistola? Porro sunt quidam dicentes prorsus hanc Epistolam a Paulo non esse scriptam. Primum, quia in ista nomen suum minime exaravit, quemadmodum in reliquis socii suis. Secundo, quia vel figura formæ hujus Epistola nequaquam similis est socii suis. Propter itaque formam constructionis, quæ Clementinæ similis est, Clementis est, ajunt, Epistola hæc, non Pauli. Alii vero dicunt, quod ipse Paulus scripsit, sed ob odium inimicitiæ Judæorum, quam habebant in eum, abscondens occultavit nomen suum, ne forte nomen scriptum in Epistolæ principio illos a lectione quoque arceret, illique privarentur magna utilitate, quæ recondita erat in Epistola persuasionibus conferta. Hique tales dicunt, quod hebraice scripsit eam, non græce; quoniam vero eam transtulit Clemens ex hebraico in græcum *(idioma)*, per typum formæ sermonum constructorum Clementis esse existimata fuerit, quum ejus non esset. Qua porro de causa nomen suum minime scripserit in hac Epistola, cum cæteris convenit dicentibus, quia ob Hebræorum inimicitiam, qua ferebantur in eum, non scripserit.

Ego autem dico, quod duobus verbis, quæ scripsit Paulus in fine hujus epistolæ, solvuntur ambæ suspiciones quoad Epistolæ hujus initium exortæ. Siquidem scripsit:

Cognoscite fratrem vestrum Timotheum, quem misi, ut cito veniat ad vos. Præterea, quia addidit, semel atque iterum dicens: *Si celerius venerit, et ego cum illo mox veniam.* Constat ergo, quod ad familiares suos eam misit. Sin autem ad familiares misit, quæramus, et comprehendamus, quare illis occultaverit nomen suum: quum nec in Epistolis scriptis ad Galatos, ad Corinthios, et ad proximos quos viderat, id fecerit, neque in Epistolis ad Romanos datis, et ad cæteros quos non viderat, tale quoddam egerit. Verum etsi breviter monstraverimus, quod ad familiares misit, iterum tamen demonstramus. Audite ab ipso Apostolo Domino meo sic scribente ad Hebræos: *Rememoramini,* inquit, *pristinos dies, in quibus baptizati estis; in quibus multas passiones, et certamina sustinuistis, aliquando opprobria, et tribulationes. Insuper,* ait, *et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis; quoniam confidentes sciebatis, quod in cœlo hisce meliora præparata sunt vobis, quæ permanent usque in æternum.* Si ergo Hebræis auditoribus suis scripsit, non illis, qui in animo amaritudinis crucifigentium perseverabant; curnam, quemadmodum ipse nomen suum in initio Epistolæ ad omnes Ethnicos exaravit, hic nequaquam scripsit?

Fortassis Apostoli adhuc inibi erant: et quia illi mandatum acceperant propter apostolatum circumcisionis, sicut et ipse potestatem habuerat ob apostolatum Gentium, propterea noluit ipse apostolatus sui nomen ad eos propalare, quoniam ad eos non erat missus. Siquidem et ipsi in magno certamine versabantur, atque in magna agonia propter Evangelium. Difficile enim durumque illis erat templum, quod stabat, et ministerium sacrificiorum, quod ornatum ordinatumque permanebat; præter tribulationem illam, rapinamque possessionum, quas sufferebant; ideo

ex ipsa lege studuit Apostolus evacuare sacerdotium, et sacrificia eorum, atque officia ministerii ipsorum, quæ tunc obtinebant, et simplicitatem hominum per aspectum suum circumveniebant. Quoniam autem sciebat, se licet in aliis tamquam socios suos esse, verbo tamen esse potiorem sociis, relicto nomine suo, doctrinam suam ad eos dirigit; ut nimirum suo nomine suppresso, appareat ejus humilitas; et per doctrinam directam, ejus sollicitudo manifestetur.

Præterea præsules Hebræorum perfecti erant, infirmi tamen facti sunt cum discipulis suis; quemadmodum et ipse Paulus illic profectus idem fecit: expiatus est enim, et obtulit sacrificium pro sanctificatione sua, sicut in Actis duodecim Apostolorum ostensum est. Quia ergo vidit Paulus, quod discipuli magistros suos coegerunt infirmos esse cum ipsis, relinquit ille magistros perfectos, et deferre facit Epistolam ad imperfectos eorum discipulos.

Quemadmodum olim ipsi Paulo opus fuit, ut per Judam et Sillam Apostolorum litteræ Jerusalem ad Ethnicos confusos inter circumcisos deferrentur; ita ipse quoque pro discipulis Apostolorum id scripsit, quod ipsi Apostoli manifeste prædicare ac dicere in ea regione verebantur. Non quod ipsos crucifigentes timerent, sed in discipulos suos scrupulo agebantur, atque suspicabantur, ne forte evacuatis circumcisione et sequentibus, quemadmodum illos docebant, a novo Evangelio recederent, et plane perfectaque iterum ad eandem legem reverterentur.

Sicut nempe quum Petrus Antiochiam venit, reliquit Paulus eos, qui cum illo erant haud recte ambulantes in veritate Evangelii, et æquum duxit Petrum admonere, eumque de perfectione alloqui, ut per Petrum audirent illi, qui cum Petro ambulabant. Sicut igitur ipse legis observationes verbis evacuaverat, quum præsens aderat; per

Epistolam quoque suam suadere, et placare voluit absentes, qui ab aspectu suo longe erant. Et forsitan, postquam illi aures præbuissent verbo ejus Antiochiæ, quum prope esset; misit ad alliciendos eos, qui nondum magistris suis obedierant. Magistris itaque prætermissis, ad discipulos scribit; ut responsionis locus daretur Apostolis, *(Paulum)* non scripsisse ad illos, ne suspicari possent ipsos ad eum scripsisse, ut ipse illis rescriberet. Celat autem et abscondit nomen suum, primum ob humilitatem suam, ut dixi; deinde, ne seipsum Apostolum super Hebræos nuncuparet, quoniam nec illi discipuli ejus fuerant, neque ipse fuerat ad illos missus. Ne igitur eum irriderent, et crucifigentes quoque dicerent: Ecce et Saulus inter Apostolos; nomen suum prætermittit, atque ex Italia ad eos scribit, qui et Filium Angelorum Dominum Archangelum arbitrabantur, sic in principio Epistolæ suæ dicens:

I.

In multis signis, ait, *multisque artibus loquutus est* primum *per Prophetas cum patribus* nostris; quoniam videlicet in variis, mutabilibus modis loquutus est cum Noë, Abrahamo, et Moysi, et cum populo in deserto; atque sub diversis similitudinibus senis, et gigantis, aliorumque, apparuit eis.

In fine autem istorum temporum non in similitudine, neque per servos, sed *per Filium* suum *locutus est nobiscum.* Per eum sane *quem constituit hæredem universorum,* puta propter carnem. Ille namque, a quo omnia, et per quem omnia, minime constitutus fieret hæres universorum. *Per quem fecit,* ait, *sæcula* omnia, utrumque scilicet.

Et *ipse est splendor* luminis *gloriæ* suæ; quoniam nimirum per opera Filii tamquam per lumen apparverunt

nobis divitiæ gloriæ Patris. Et forma majestatis suæ, compar videlicet majestati suæ. Et disponit omnia in virtute Verbi sui; idest, quia omnes Gentes subjicit virtus verbi sui. Et *per eum fecit purgationem* expiationis *peccatorum* in aquis baptismi: *sedet* autem *ad dexteram* gloriæ *majestatis,* propter carnem indutam.

Sin autem *tanto superior Angelis factus* est hisce rebus, quas recensui; *quanto melius præ illis nomen hæreditavit?* Istud est, quod dixit: *Dedit illi nomen, quod melius est omni nomine.*

Cui umquam Angelorum dixit: Filius meus es tu? Quamvis enim hominibus dictum fuerit, quia testimonio eis erat natura eorum, non esse illos filios naturæ, sed gratiæ; nulli tamen ex Angelis dictum fuit:

Ego ero illi Pater, et ille erit mihi Filius.

Neque ullli hominum nuntiatum est: *Adorent eum Angeli Dei.* Nam etsi homines socios suos subigant, Angelos tamen nunquam redigent homines in obedientiam.

Non enim Angeli non sunt effecti. *Fecit,* inquit, *Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem ardentem.*

Verum *de Filio* suo sic dicit Deus: *Thronus tuus in sæculum sæculi.* Tu autem attende, quod dum caro erat, non dixit hic eam *factam,* non quod non esset facta, sed ne forte creationem acceptam super carne, Ariani acciperent eam super natura Filii. *Virga,* ait, *æquitatis* Judæ, *virga regni tui,* cum cæteris, quæ de Christi corpore dixerat David, replicavit Apostolus.

Et: Tu, Domine, in principio terram fundasti: et cœli, firmamentum scilicet, quod factum est post terram, *opera manuum tuarum sunt.*

Quod autem dixit: *Ipsi transibunt*, et cætera, iterum eadem David dicta replicavit Apostolus. Si transibunt

omnino et opera; ergo et paradisus, qui non est transiturus, transibit. Sed per paradisum, qui non transit, patet quod nobiscum renovabuntur omnino opera; ut quidam asserunt; non autem transibunt, ut alii dixerunt.

Ad quem, ait, *Angelorum dixit: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis?*

Etsi, inquit, *spiritus sint* illi; necessarii tamen sunt; *qui mittuntur* in fine *in ministerium* officii *propter eos, qui* parati *sunt ad hæreditandam vitam salutis.*

II.

Propterea abundantius oportet nos auscultare verba, *quæ audivimus* a Filio, *ne forte languescamus* et nos, sicut et prior populus.

Si enim pro illo, qui Sodomis *per Angelum dictus est sermo, acceperunt pœnas castigationis* suæ, qui noluerunt audire:

Quomodo nos poterimus salvari, si tantam neglexerimus vitam novam? *quæ initium accepit loquendi* nobiscum *ab* ipso *Domino* Angelorum, *eamque confirmarunt nobis ii, qui ab eo audierunt;* hi sunt Apostoli.

Porro pro Apostolis *confirmat* ipse Filius *per virtutes et signa,* quæ patrantur ab eis, una cum Spiritu sancto, qui distribuit eisque dedit pluribus in locis; sicut per linguas, et per linguarum interpretationem, et per prophetiam, cum reliquis donis per Spiritum eis elargitis.

Non enim Angelis subjecit umquam *futurum mundum, de quo nos loquimur,* prædicamus videlicet; sed Filio,

Sicut et David *testatus* est de eo, dicens: *Quid est homo, quoniam visitas eum?*

Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Adverte itaque tu, quod carni dictum mundum subjecit, non Filio, *in eo quod* dicit:

Omnia ei subjecit, ut dixit David. Quum itaque subjecerit ei omnia, *nihil dimisit* in medio *non subjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei.* Hæc de idololatris, et crucifigentibus dixit.

Sed quod dixit David, gloria, et honore coronasse : quoniam Deus *pro omnibus mortem gustavit*, eo quod nequibat mori immortalis natura, in carne qua mortuus est, ipse qui mortuus est, quasi non est mortuus. Quia ergo non est mortuus ille natura sua, induit ille nomine mortem propter amorem nostrum : quoniam propter naturam suam superior erat morte, mors accedere ad eum non poterat,

Decebat enim ut ejus, in quo omnia facta sunt, et *per quem omnia* firmata sunt, *fierent* post resurrectionem *multi filii in gloria*, in regno videlicet ; ipseque *fieret auctor vitæ eorum* post vivificationem resurrectionis ; atque ut per passionem suam perfectos illos efficeret ; non enim perpetuo permanebunt illi in lacte legis.

Qui enim sanctificabat eos, et qui sanctificabantur ab illo, *ex una* erant natura. *Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare ;* germanus enim illis factus est per carnem, quam ab iis assumpsit. Nec tamen alienum id vobis videatur ; nam jaminde enim Propheta id quoque prædixerat :

Nuntiabo, dicens, nomen tuum fratribus meis ; atque *in medio Ecclesiæ laudabo te.*

Et iterum Isaias dixit : *Ecce ego, et pueri mei, quos dedit mihi Deus.*

Quia ergo pueri per promissionem vocati *communicaverunt carni, et sanguini*, peccato scilicet, quod carne signatur, *et ipse similiter participavit eidem passioni*, in similitudine carnis, et commixtus est illis, ut fieret eis exemplar bonorum : ac deinde se morti tradidit, *ut per mortem* suam

destrueret eum, qui habebat in seipso *mortis imperium, idest diabolum:* qui occasione fructus manducati mortem in creaturas induxit.

Mortuus est itaque ille, *ut liberaret* per mortem suam *eos*, super quos timor mortis regnaverat, et *per totam vitam obnoxii erant servituti* mortis æternæ.

Non ergo ab Angelis accipitis vos hanc medicinam vitæ vivificatricem vestri, sed ab ipso semine Abrahæ, cui dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes Gentes.*

Unde debuit per omnia similiari fratribus suis, filiis Abrahæ, *ut* nempe *misericors fieret*, sicut Moyses ille, qui in typum ejusdem Filii tradidit seipsum pro filiis populi sui; *atque* ut fieret *fidelis,* et salvaret omnes Gentes a morte, sicut Aaron, qui in ejus mysterium coercuit mortem a filiis generationis suæ per thuribulum, quo accepto, stetit contra mortem. *Pontificem* autem eum appellavit non propter res, quæ nobis per sacrificia largiuntur, sicut per Eleazarum, sed propter illa, quæ in eo spiritualiter nobis conceduntur: idest, *ut propitiator sit* ipse per baptismum, non autem per aspersionem.

In eo enim, in quo admisit ipse, passiones et tentationes, idest per connaturale nobiscum, in quo tentatus est, auxiliatur in infirmitate patientibus, qui tentantur, utpote conscius rerum ex infirmitate carnis, tamquamsi nunc, postquam carnem assumpsit, eos magis sciret.

III.

Unde, fratres sancti, dilecti, vocationis participes, non legis in monte Sina datæ, sed *vocationis cœlestis*, promissionis scilicet Abrahæ de cœlo factæ, *considerate apostolum, et pontificem confessionis nostræ:* quia nimirum per eum offertur confessio nostra, sicut et per pontificem.

Et ipse *Jesus* Christus *fidelis fuit ei, qui* pontificem *fecit illum*, non in sanctis sanctorum, sed in omnibus, quæ sunt in cœlo, et in terra: *sicut* fidelis fuit *Moyses in omni* ingressu in sancta sanctorum interiora.

Verum eo quod dixerit, *sicut Moyses,* ne putetis, eum tamquam Moysem esse: *amplior enim est gloria istius* pontificis *præ Moyse, quanto ampliorem honorem habet præ domo domus fabricator*. Similiter amplior est honor Domini et Filii præ Moyse servo;

Omnis namque domus fabricata ab homine fabricatur: *qui autem* Moysen *creavit*, *et omnia* perfecit, *Deus est.*

Et Moyses quidem fidelis fuit, sed tamquam minister, *tamquam famulus* namque *fidelis erat in toto domo*, *ut testimonio esset verborum, quæ inibi dicebantur.*

Christus vero non sicut Moyses servus fidelis est, sed *tamquam Filius* fidelis fuit, non supra tabernaculum internum, sed supra animas hominum; *nos* enim *domus* ejus *sumus*; si in fiducia sua dumtaxat firmi stemus, et non confundamur in gloria spei ejus; ea enim est passio ejus.

Neque alienum id quoque videatur vobis, quoniam *propter hoc* quoque *dixit Spiritus*: *Hodie si vocem ejus audieritis*,

Nolite obdurare corda vestra ad exacerbandum eum, *sicut tentaverunt patres vestri in deserto,* eo tempore, quando redierunt speculatores, postquam lustrassent terram.

Et *juravi*, *ne introeant in requiem meam.*

Videte, cavete ergo, *ne forte sit in aliquo vestrum cor malum, sicut in illis,* qui non intraverunt, et deficiamini per incredulitatem vestram a Deo vivo.

Sed consolamini corda vestra per omnes dies vitæ vestræ, *ut non obduremini*, et impingamini in seductionem *fallaciæ peccati* carnis vestræ.

Participes enim Christi effecti sumus ab initio per vocationem : dummodo stemus firmi *usque ad finem* temporis in isto voto vero ; præsertim quia omnia vota, quæ permanserunt, hoc ipsum in mysteriis exemplisque prædicabant.

Nolite, ait, *obdurare corda vestra.* Quinam sunt isti ?

Sed non universi, qui egressi sunt de terra Ægyptiorum : nonnulli enim eorum intraverunt, Josue scilicet, et Chaleb.

Quibus autem iterum *infensus est quadraginta annis? Nonne iis, qui* non crediderunt Chalebo, et Josue, et *inique egerunt* in adoratione vituli, multisque cæteris : et ossa *eorum prostrata sunt in deserto?*

Aut *quibus juravit, non introire in requiem* ipsius ? *Iis, qui* noluerunt obtemperare Moysi, et Aaron, et Josue, et Chaleb, qui rogaverant eos.

Iamque videmus, quia non potuerunt introire in terram sibi promissam, non sane propter mala opera eorum, etsi iniqui erant, sed *quia non crediderunt* verbo Dei.

IV.

Timeamus ergo nos quoque, *ne forte* inveniatur aliquis in nobis penuria laborans ; atque contemnentibus nobis, *nequeamus introire in requiem,* non in eam terram promissionis, sed in veram requiem Dei : ea enim est regnum cœlorum.

Etenim et nos habuimus promissionem introeundi per fidem, et conversationem spiritualem in regnum, *quemadmodum et illi* mandatum acceperunt per legem, ut hoc modo possent possidere terram illam ipsis donatam : *sed non profuit illis sermo* legis *auditus ;* quia *non* erat *admistus fidei* auditorum.

Nos autem *ingrediemur in* ipsam *requiem* fideles, *qui credidimus* in Christum, et donis ejus. Illi autem non sunt ingressi in illam requiem juxta juramentum, quod factum est per David dicentem: *Juravi in ira mea, non introibunt in requiem meam.*

Sabbatum equidem quies est, de quo annuntiatum est; quum enim die septimo perfecta fuere opera omnia, dictum est: *Quiescere fecit Deus die septimo opera omnia.* Si ergo non quieverunt Hebræi, sicut et opera eorum, die septimo, manifestum fuit, quod de illis dictum est: *Non intrabunt in requiem meam.*

Sed Apostolus sabbatum quietis posuit typum veræ quietis æternæ; quapropter dixit: *Superest introire quosdam in illum*, non in exemplum illud quod transiit, sed in istum verum, in cujus exemplo evangelizati sunt Hebræi, *et non introierunt, quoniam non crediderunt.*

Quod nisi duo essent sabbata, unum videlicet typus, alterum verum, ut dixit, cur *iterum alteram diem terminat* illud: *Hodie in* ore *David post tantum temporis* dati sabbati primi, dicens: *Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*, sicut illi, qui in deserto deperditi sunt, et non introierunt in requiem ejus.

Nam si eos Josue filius Nave, qui hæreditare eos fecit terram, collocasset et quiete donasset, adhuc de quiete alterius diei nullo modo loqueretur. Ecce enim quiescere eos fecit Josue, quia in hæreditatem dedit illis terram, sed non requieverunt in eo perfecte, sicut Deus perfecte requievit ab operibus suis; quandoquidem inter magnos labores ac prælia jacebant. Si itaque quies illa non erat requies, quum præliis ipsum quoque Josue, datorem eis quietem, lacessabat: si ita est, inquam, remanet ac *relinquitur sabbatismus* Dei, qui requiescere facit illuc intran-

tes, sicut *requievit ipse Deus a suis*, idest ab omnibus operibus suis, quæ fecit.

Festinemus ergo ingredi in illam requiem, ne quis in ipso modo inobedientiæ, et incredulitatis comperiatur, et non intremus secundum similitudinem ætatis, qua egressi erant de terra Ægyptiorum; quoniam desciverunt, obstinati sunt, et non intraverunt in sabbatum in ipso exemplo, ubi vivus erat sermo Dei, qui verum sabbatum promisit.

Et sic iterum acutus ac penetrans est per ultionem suam ad quærenda et exigenda omnia, quæ coluntur in mente et in cogitationibus cordis.

Et non est ulla creatura invisibilis, quæ eum lateat, quoniam nudo collo stabunt in conspectu ejus in hora judicii omnia occulta.

Habemus ergo Pontificem unum *Jesum* Christum *Filium Dei*, *qui non potest non compati infirmitati nostræ*, quum per eam tentamur, idest, quum teneamus confessionem ejus, et non moveamur: *tentatus* est enim ipse in *omnibus* passionibus corporis per carnem sumptam. Imitemur itaque illum, ut simus *absque peccato* ad similitudinem ejus,

Ut *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ* suæ; idest in ipsa retributionis hora. *Consequamur et misericordiam* suam, puta obsecrationibus, ut nobiscum sit in hora congressus nostri cum diabolo.

V.

Postquam dixisset de typo sabbati, resumit demonstrare, quod et sacerdotes populi pro typo Filii constituti erant. *Omnis namque pontifex*, ait, *qui ex hominibus assumitur*, eligitur videlicet, et ungitur, *pro hominibus caput constituitur apud Deum*, ut ipsis per eum veniant quæ a

Deo conceduntur; atque *ut offerat* coram *Deo* et *vota et sacrificia,* quæ *pro peccatis* ipsorum offerebantur.

Et modicum juxta suam infirmitatem *condolebat* ille ob peccata, quoniam et ipse carne peccati indutus erat.

Et opus habebat, *quemadmodum* pro populo, *ita etiam et pro semetipso et pro peccatis* suis sacrificium *offerre.*

Sed neque per rapinam aliquam accipiebat ille pontificatum, sed *tamquam Aaron* quem per virgam frondescentem elegit Deus.

Sic et Christus non electionem sibi fecit, sed David præveniens dixit; *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Et iterum *dicit: Tu es sacerdos in æternum secundum similitudinem Melchisedech.*

Dum autem carne indutus erat, *in diebus carnis suæ,* perveniente nocte, qua tradebatur, *preces supplicationesque cum lacrymis, et petitionibus validis offerebat ad eum, qui poterat illum salvum facere a morte.* Et exauditus est orationibus suis.

Quomodo exauditus est, si a morte liberari postulaverat? ecce enim non est salvatus. In semetipso voluntatem Patris impleri volebat. Et hoc ipso manifestum fuit, quod esset *Filius Dei;* quoniam animam suam pro creaturis propter quietem animi mittentis sese exponebat: atque manifesta fuit *obedientia* sua per manus eorum, a quibus cruciatus est. Si ergo crucifigentes ipsi testes sunt, quod exauditus fuerit; si ita est, inquam, ergo mori ille volebat, et voluntatem Patris sui fieri, rogabat. Supplicationes iterum valida petitione offerebat ei, *qui poterat salvare* illum *a morte,* non liberationem a morte poscebat, qui venit ad mortem; neque, resuscitari post mortem rogabat, quum et antea quoque id illi promissum fuisset; sed pro crucifigentibus se, ne morirentur in eo, orabat. Exauditus

autem fuit orationibus suis, quia apertum fuit ostium, ut in eo viverent crucifigentes se. Et qui hæc fecit, idest qui ad tantam humilitatem, et passionem se humiliavit pro occisoribus suis, *est Filius Dei*; unde manifesta fuit exauditio ejus *ex iis, quæ passus est.* Siquidem nonnulli occisorum ejus conversi sunt, et per eorum pœnitentiam præcones fuerunt resurrectionis ejus. Et fortassis in se ipsum quoque aspiciebat Apostolus, dum hæc de proximis suis dicebat.

Et sic, ait, *consummatus*, idest in his omnibus per obedientiam consummatus, *factus est nobis causa salutis æternæ*, pro Adam, qui fuerat nobis per inobedientiam causa mortis. Sed non sicut regnavit mors Adæ in illis, qui non deliquerunt, sic regnat vita in eis, qui non justificantur: quamvis enim ille sit vitæ largitor, iis tamen largitur, qui obediunt; non eis, qui desciscunt ab illo.

Appellatus autem est *Pontifex* non ab hominibus, sed *a Deo;* neque secundum similitudinem Aaronis appellatus est, sed *juxta similitudinem Melchisedech.*

Multa nobis verba sunt *de* ratione *Melchisedech* ostendenda vobis, non quia difficilia sint ad enarrandum, neque quia incomprehensibilia sint, sed propter imbecillitatem auditus vestri.

Etenim quum deberetis magistri esse propter vetustatem temporis, necesse fuit in tempore perfectionis vestræ, *ut* tamquam pueros *rursum vos doceremus, quid sit exordium sermonis Dei: et facti estis* infantes, quibus lacte opus sit potiusquam *solido cibo.*

Omnis enim qui lacte opus habet ad cibum, ille videlicet, cujus spes refugii sui est in *terrenis legis* promissionibus, iste *expers est sermonis justitiæ*, crucifixionis scilicet carnis nostræ, qua justitia Dei prædicatur.

Perfectorum autem est solidus cibus, idest passio scripta

in novo Evangelio ; de quibus utique dictum est : *parate Domino plebem perfectam ;* quorum gustus propter mensuram fidei, *exercitati* sunt ; idest, a se ipsis, non autem a lege, *ad discretionem* habendam *bonum inter et malum.*

VI.

Quandoquidem reliquistis primum *Christi sermonem*, quem tamquam lac suscepistis ; hactenus enim non placuit vobis perfectos in eo esse, eo quod non abstinuistis a legalibus ; ita ut et magistros vestros coegerit infirmitas imbecillitatis vestræ infirmos esse vobiscum ; venite *modo ad perfectiora feramur,* quæ in isto Novo prædicantur. Quoniam nequimus nos *rursum* aliud *jacere fondamentum* mysterii jam perfecti, typorumque comsumptorum : non enim alia datur crucifixio, qua expiamini *a mortuis* peccati *operibus,* postquam expiati estis in aquis baptismi.

Non ultra opus est iterum prædicare vobis fidem, quam semel annuntiavimus vobis ; neque descendere *ad baptismum* quem semel accepistis, neque *ad impositionem manuum* sacerdotum, quam suscepistis ; neque prædicare vobis resurrectionem, vel vitam æternam jam vobis prædicatam.

Si permiserit Deus faciemus hæc secundo ; sed non permittit infirmari hæcque peragi.

Impossibile est enim, eos qui semel baptizati sunt, et gustaverunt donum illud cœleste per medicinam, quam acceperunt, *et cohæredes facti sunt Spiritus sancti* per dona Spiritus accepta, *et pulchri verbi Dei libamen gustaverunt* novi Evangelii, et in virtutem futurorum temporum armati sunt, in promissa videlicet justis præparata,

Nunc autem *prolapsi* iterum *sint, ut rursus renoventur* per alterum baptisma *in pœnitentiam :* qui enim duo adducunt baptismata, crucifixionem Filii Dei, et ignominiam

ejus quærunt. Sed crucifixio facta est semel, et non ultra amplius fiet; et baptismus justificator datus est, et iterum secundo non datur peccatori.

Adduxit et parabolam exempli verbo suo, dicens: Quemadmodum imber unus est super terram cultam, et incultam; quæ enim culta est, *fert fructum opportunum illis, a quibus colitur*, atque post fructum *accipit et benedictionem:*

Quæ autem inculta est, *profert spinas ac tribulos* illis, qui pro his *(operantur)*, atque *reprobatur, et maledicitur: consummatio* autem *ejus* fit *in combustionem.* Ita sunt et illi, qui susceperunt propitiationem baptismatis, et acceperunt corpus vivum, si autem permanserint in acceptis, recipiunt benedictionem, dona scilicet promissorum. Illi vero, qui post expiationem eorum, participationemque cum Spiritu sancto iterum volutantur in operibus malitiæ designatis per spinas et tribulos, quoniam non est alter baptismus secundus, qui propitius sit eis, habent in consummatione combustionem.

Postquam hæc dixisset Apostolus, deterrens illos, ne peccarent, et indigerent propitiationis; conversus roboravit eos: quod si alter baptismus non est ad expiandos vos, opera vestra, et charitas vestra baptismus perpetuus sit vobis. *Tametsi*, ait, *ita loquimur,* et claudimus ostium misericordiæ contra justos, ne peccent; pœnitentibus tamen aperta est porta misericordiæ.

Non enim injustus est Deus, *ut obliviscatur operis vestri*, doni scilicet vestri, *et dilectionis*, quam habetis vos erga sanctos, pauperes, qui sunt Jerosolymis.

Sed ita volumus *unumquemque vestrum ostentare sollicitudinem* suam coram proximis suis, non ut appareat ipse proximis suis, sed ut prædicetur fortitudo vestra, quod perfectam spem expectatis.

Et *usque ad finem* non infirmi videamini mente vestra, peccantes ob longitudinem temporis ; sed efficiamini *imitatores* patrum priscorum, *qui fide operabantur*, non habentes legem prædicantem postmodum futura; atque ipsi elegerunt eam ex intellectu proprio : et in longanimitate, quæ major vestra erat, facti sunt hæredes hujus promissionis, quæ vobis promissa est. Longanimitas vestra septuaginta annorum est aut octoginta ; eorum autem centum septuaginta annorum est.

Abrahæ namque promittens Deus, quoniam nihil aliud majus erat per quod juraret, juravit per semetipsum ob sacrificium Abrahæ.

Dicens : Per memetipsum juro, ait Dominus, quia *benedicens benedicam* sterilitatem tuam, et *multiplicans multiplicabo* solitudinem tuam.

Et sic longanimis factus est ille per annos centum, et *adeptus est repromissionem* suam.

Sicut autem *homines per majorem sui jurant* in omni controversia ; humiliatus et Deus juravit eis per semetipsum : et propterea firmum (est) juramentum. *Hoc ipso* vero juramento *voluit Deus ostendere pollicitationis hæredibus*, quod promissio sua propter suum juramentum minime mutatur. Infallibile autem *juramentum* suum *fuit ad interpositionem*, idest inter Deum, et Angelum, et Abraham.

Per duas autem *res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum ;* una est, quia juravit per semetipsum ; altera, quam David dixit : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, quia tu es sacerdos in æternum secundum similitudinem Melchisedech ; nobis* porro, qui cohæredes facti sumus hujus promissionis, *solatium firmissimum est*, utpote *qui confugimus ad muniendum nos*, non in Dei justitiam, quemadmodum nec primi, sed præmunimur in ipsam misericordiam suam,

et diligenter firmati stemus in eo: ut eripiat, et educat de medio malorum hujus sæculi, et aperiat nobis viam *ad interiora velaminis.*

Non in sancta sanctorum, ubi Moyses ingrediebatur; sed in interiorem velaminis partem in cœlis, *ubi præcursor* noster tetendit, et *introivit Jesus* Christus, et *factus est Sacerdos in æternum;* non ut offerat hostias sacrificiorum, sicut Aaron, sed ut offerat orationem omnium Gentium, sicut et Melchisedech.

VII.

Siquidem et interpretatio nominis *Melchisedech, Rex* est *justitiæ*, et *Rex Pacis.* Demonstravit omnino Apostolus, quod etiam in ipso nomine ejus mysterium gratiæ, et justitiæ Filii, Domini Melchisedech, exaratum erat. Melchisedech autem iste Sem filius Noë erat, inquiunt: quod vero in diebus Abrahæ, et Isaaci, et Jacob extiterit ille, ecce, inquiunt, liber Genesis ostendit: quod autem in propria hæreditate habitaverit in Salem, patet ex sortitionibus tribuum illarum, quæ hæreditarunt terram domus Cham.

Porro *sine patre*, ac *sine matre*, et *sine genealagia*, non ipse quidem Melchisedech, sed ipsius Melchisedech nomen; quia nec nomen Melchisedech, neque nomen Israel descripti sunt in genealogia; at Sem, et Jacob habent patrem, et matrem, et initium, ac finem, atque conscripti sunt etiam in genealogia. Nomina autem Melchisedech, et Israel nec unum ex istis habuerunt: Deus enim glorificavit ambos illos duobus nominibus utrique a se impositis. *Assimilatus* autem est ille *Filio Dei* per sacerdotium suum, ut permaneat in æternum rursus sacerdotium Melchisedech, non in ipso Melchisedech, sed in Domino Melchisedech.

Præterea Apostolus magnificat sacerdotium Gentium

potiusquam populi, cum dixerit: *Intuemini,* inquiens, *quantus sit hic, cui et decimas dedit de omnibus Patriarcha* noster.

Per Abraham autem, qui decimas dedit illi, et domus Levi ab eo generanda decimas sumpsit in illo. Levitæ enim etsi decimas sumebant, non ab alienis sumebant, sed a semetipsis decimas accipiebant; a fratribus namque suis filiis Abrahæ decimas sumebant. Huic autem, qui non est conscriptus in generatione levitica, decimas dedit Abraham, ad quem fuit repromissio sacerdotii; cuique promissum erat, ut in eo benedicentur omnes gentes, quomodo indigebat benedictionis viri incircumcisi?

Nonne idipsum manifestat probatque, quod nisi minor esset Abraham quam Melchisedech, benedici ab isto non exposceret.

Et hic quidem decimas filii mortales accipiunt: sic Melchisedech qui mortalis erat, vivebat eo tempore ob rationem testimonii propter Abraham, propter nimirum veram benedictionem Melchisedech destinatam in semine Abrahæ.

Dicit ergo, *si consummatio sacerdotii* ex domo levitica erat, *(populus enim sub ipsa legem accepit*, idest propter eam lata est lex populi) *quid adhuc necessarium fuit* alium aliunde sacerdotem suscitare, *non secundum similitudinem Aaronis,* qui patriarcha erat sacerdotum eorum, *sed secundum similitudinem Melchisedech incircumcisi?*

Porro quum probasset de mutatione sacerdotii facienda, resumit probare, quod cum ipsa mutatione sacerdotii mutata est et lex: *translato enim sacerdotio* (ait), *necesse est, ut et legis translatio fiat.* Quid ergo opus sit sacrificialis legis, si sacrificia atque sacerdotium ipsum evacuata sunt?

Quemadmodum Melchisedech *in quo hæc dicuntur,* etsi ab illa generatione esset, *de alia* tamen *tribu* apparuit, *de qua nullus* alius umquam *altari præsto fuit:* et ille qui

accepit sacerdotium ejus non equidem a Leviticis erat, ut non alienaretur ab ipso Melchisedech typo suo.

Namque jaminde *manifestum erat*, *quod ex Juda oriundus erat Dominus noster* Jesus Christus ; *in qua tribu nihil de sacerdotio Moyses locutus est* umquam. Propter hoc enim potius lepra percussus est Ozias rex, eos quod voluerit transferre ipso facto sacerdotium, et deportare in domum Judæ, antequam venisset, et accepisset illud hora sua Jesus, qui ex Juda erat.

Et amplius adhuc manifestum fuit, quod *secundum similitudinem Melchisedech exsurgat alius sacerdos,*

Qui tamen *non secundum legem mandati carnalis factus est ;* idest, non sicut constitutus erat in populo, per aspersionem, et sanctificationem, per sanguinem et unctionem sacerdotii, et vestimenta ejusdem constitutus est accepitque Dominus noster, *sed secundum virtutem vitæ,* quæ non solvitur a morte.

Accepit illud per juramentum a David prolatum : *Tu es sacerdos æternus juxta similitudinem Melchisedech.*

Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, sicut et sacerdotii anterioris, *propter infirmitatem ejus*, *et inutilem* ordinationem.

Per terrenam enim mollitiem ac voluptatem, quam illa præstabant, per infirmitatem, qua infirmos eos reddiderunt coram cupiditatibus, neminem eorum ad hanc perfectionem, cujus gratia nos excutimur a cunctis substantiis nostris, adducebant. *Introductio vero*, quæ fit Evangelii, propter spem, quæ superabat primum, quam prædicabat nobis, facta est introductio ejus : namque *per hanc* ipsam vacuitatem nostram *proximamus ad Deum*, ubi per mollitiem voluptatis legis rejecti elongabamur ab eo.

In domo autem Levi quoniam *sine juramento facti*

erant sacerdotes, ideo non permanserunt: is vero in sæcula sæculorum permanet.

Quoniam fieri nequit, ut mentiatur jusjurandum, quod dixit: *Juravit Dominus*, *et non pænitebit eum*, *quia tu es* presbyterorum *presbyter in æternum,* secundum ordinem Melchisedech.

Intantum itaque *melior* prioribus sacerdotibus *Jesus Christus*, mediator fuit ejus rei, quam nobis promisit per novum testamentum.

Quemadmodum illic necesse erat plures esse, quoniam anteriores mors interrumpebat, et non permanebant in æternum; ita (nunc) non est alter Pontifex cum Domino nostro, *qui semper vivit, et intercedit pro nobis;* non in hostiis sacrificiorum, sed in precibus.

Et potest salvare nos in perpetuum, non terrenis deliciis, quæ nutriunt nos per paucos dies, sed salvat nos in sæcula sæculorum, *accedentes per semetipsum ad Deum.*

Talis enim decebat, *ut nobis esset pontifex, sanctus, impollutus, segregatus a peccatoribus.*

Qui non habeat necessitatem, quemadmodum cæteri *sacerdotes,* qui *prius pro suis delictis hostias offerebant, deinde pro populi* peccatis. Ille autem *hoc semel fecit, seipsum offerendo* non pro se, sed pro peccatis hominum.

Lex enim homines imbecilles *constituebat ad sacerdotium*, qui nimirum opus habebant offerre hostiam pro suis peccatis: *sermo autem jurisjurandi, qui* ministratus *est* in David *post legem, Filium* confirmavit, qui *in æternum perfectus* manet.

VIII.

Capitulum autem verborum dictorum, sermo videlicet de sacerdotio, et lege, quem de illis instituimus, ita se habet ut dixi. *Talem habemus* presbyterorum *presbyterum,* non qui stat coram arca fœderis, sed eum, *qui* ascendens *consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis.*

Porro is, qui adeo exaltatus est, *sanctorum minister* fuit in ipso tabernaculo veritatis: idest, aut in regno cœlorum, sicut et promisit; aut in hoc mundo, sicut reapse fecit, lavans pedes discipulorum.

Omnis enim pontifex ad offerendum *munera, et hostias constituitur, unde necesse erat et hunc habere aliquid,* ne alienetur ipse a mysteriis suis: propterea et iste obtulit non hostiam ex animalibus, sed semetipsum.

Si enim in cœlis ille esset, fortassis *nec sacerdos esset; quum essent* sacerdotes, *qui offerrent secundum legem munera,* puta secundum mandata legis.

Illi enim in ænigmate exemplaris ministrabant secundum similitudinem cœlestium: idest, omnia illa veteris *(ministeria)* similitudines erant et symbola hujus ministerii Ecclesiæ, quod in conspectu ejus spirituale cœlesteque habetur. Atque Moysi ipsi in mandatis datum est, cum facturus erat tabernaculum horæ: *Vide, inquit, omnia facito* illic *secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.*

Nunc autem melius sortitus est ministerium Jesus Christus, quam Moyses: idest, dedit nobis Jesus, et fuit ipse mediator testamenti, non illius, in quo scripta fuit promissio terrena, sed istius, in quo scripta sunt dona cœlestia, quæ terrena exsuperant.

Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi

locus inquireretur. Culpæ autem ejus hæc erant, quia reprobabat, et spernabat manifestos corporis defectus; et occasione talis defectus, qui nobis nolentibus occurrebant, justos mancos, qui in operibus suis justi erant, reprobatos rejiciebat.

Hoc autem fœdus secundum datum illud est, de quo prophetavit Jeremias dicens: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo* ac perficiam *super domum Israël testamentum novum*,

Non secundum testamentum, quod feci patribus eorum in deserto, *quum apprehendi manum eorum*, et *educeram illos de terra Ægypti*: et *quoniam ipsi non persteterunt in testamento meo* ad implenda mandata illius, *et ego neglexi eos*, et non adimplevi in illis promissiones ejus.

Testamentum autem, quod dabo illis, dixit Jeremias, non per tabulas, ait, lapideas, ut prius; sed *scribam ego legem meam*, Evangelium videlicet novum, *in cordibus eorum et ero eis in Deum*, et ipsi rejicient idola sua.

Nec amplius aliquis sacerdotum docebit cives suos, dicens: *Cognosce Dominum; quoniam omnes* omnino *scient me a minoribus usque ad majores eorum.*

Et propitius ero eis non ex immunditia eorum, sed ab *iniquitatibus eorum*; non ex impuritate somniorum noctis, et æmorpheis, sed a peccatis quæ operata sunt in eis per vim maligni.

In illo autem, quod Jeremias dixit, *novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.*

IX.

Prius enim *habuit quidem* jura quædam ministerii *culturæ justificationis* in eo, quia exigebat pœnam gladii peccatum. Hæc autem sanctificatio, ista nimirum lex, quæ sanctificat nos per aquas, non transit sicut illa ; in æternum namque permanet posthac : quoniam reprobavit ipse et legem per novum fœdus, quod evangelizatum est per Jeremiam.

Vertit se dicere de tabernaculo horæ, et de omnibus quæ in illo erant ; ut probet notumque faciat, quia et illa transierunt cum lege sua transeunte. Fieri enim nequibat, ut permanerent illa post legem cessatam : quia et illa symbola et ænigmata erant hujus ministerii veri, quod permansurum est. Resumit itaque evacuare et officium ministerii tabernaculi horæ, in quo præsumentes gloriabantur, sic dicens : *Tabernaculum primum,* ait, ita paratum fuit ; quia *in eo erant candelabra*, *et mensa,* cum cæteris.

In tabernaculo autem interiori, *quod vocabatur Sancta Sanctorum*, sub velamine suo,

Repositum erat unum *thuribulum aureum,* et *arca circumtecta* intus, et exterius *auro,* cum cæteris.

Quid autem opus est nunc sigillatim dicere ex ordine? Nam etsi singula hæc in loco suo ad ministerii officium erecta erant, ænigmata tamen symbolica erant hujus ministerii cœlestis : quoniam vero pervenit veritas, non amplius necesse est nobis de umbris agere.

Quamvis autem *in* externo illo *tabernaculo semper introibant sacerdotes, officia* propria *consummantes,*

In secundo tamen *semel in anno solus pontifex* ingrediebatur ; idque *non sine sanguine, quem offerebat* primum *pro suis,* deinde *pro populi delictis.*

Juxta hanc similitudinem evidenter *significabat Spiritus sanctus viam sanctorum;* juxta scilicet hanc similitudinem, quæ observabatur in ingressu sacerdotis in Sancta sanctorum, declaravit monstravitque Evangelium, quod oportebat manifestari.

Itaque tabernaculum externum similitudo fuit, et *parabola* per symbolum ad aliquod tempus; quia in eo *munera, et hostiæ offerebantur, quæ non poterant perfectum facere populum, neque conscientiam* eorum, qui intrabant in officium; sed confecti illi erant *in cibo, et in potu,*

Et variis baptismatibus manuum, et urceorum, aliarumque rerum; ea enim erant præcepta carnis, mandata nimirum sacerdotii, non divinitatis.

Hæc autem omnia, ut dixi, sic agebantur præter ordinem a sacerdotibus infirmis usque ad hoc tempus, in quo Deus fecit correctionem: ex quo venit *Christus, pontifex futurus* non sacrificiorum, sed *bonorum*; atque introivit in *tabernaculum, non* pusillum *manufactum,* sed in magnum, et perfectum; quod non est manifactura hominum, *idest non hujus creationis*, quia istud quoque de nihilo *factum* est, non autem sicut tabernaculum illud, quod erectum est ex spoliis Ægyptiorum.

Neque venit ille, ut introiret, sicut sacerdotes eorum, *per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed* veniens *per proprium sanguinem* introivit; non sicut annuatim ingrediebatur pontifex, sic et Dominus noster; quoniam veniens ingressus est ille semel, non in ea sancta, quæ transierunt, quemadmodum et sacerdotium eorum, sed *introivit in Sancta* Sanctorum in æternum; fecitque propitiationem per sanguinem suum universis Gentibus.

Si enim sanguinis taurorum et hircorum, et cinis vitulæ aspersus super *inquinatos* a lepra, et immunditia somniorum, *sanctificabat* eos;

Quanto magis sanguis Christi, qui non erat sicut aspersio eorum infirma, ac quotidie necessaria, sed *per Spiritum sanctum,* idest per spiritualem conversationem, *semetipsum obtulit immaculatum* sacrificium *Deo ;* ut *emundaret conscientiam nostram* per baptismum *ab operibus mortuis, ut* in sanctitate *serviamus Deo viventi ?*

Ideo enim *novi testamenti mediator* factus *est,* quoniam per mortem suam redemptio facta est illis, qui prævaricati fuerant sub priori testamento ; atque *repromissionem accipiant, qui vocati sunt ad hæreditatem æternam.*

Quamvis autem testamentum nobis dederit per justitiam ; attamen quia testamentum non valet, nisi moriatur, qui illud scripsit, ideo necesse fuit, ut ipse moriretur ; ne fieret et testamentum suum sicut primum, quod sine sanguine non fuit validum ; sanguis enim vitulæ aspersus est super illud, non sanguis testatoris.

Ex alieno sanguine desumens *aspersit populum, et tabernaculum, et omnia vasa ejus ;*

Nam *omnia in sanguine secundum legem mundabantur, et sine aspersione* hujusce *sanguinis* animantium *non fiebat remissio* peccati contaminati.

Si ergo hæc, quæ *exemplaria* sunt *cœlestium,* vestigia videlicet sunt hujus ministerii, cœlesti sanguine mundantur ; quanto magis *ipsa cœlestia meliori hostia* sua, *quam istis* mundari oporteret ?

Non enim in manufacta hominum *sancta,* quæ exemplaria sunt veri istius, *introivit Christus, sed in ipsum cœlum, ut appareat* non pro seipso, sed *pro nobis* coram Deo.

Neque ut iterum atque iterum *offerat semetipsum,* paravit hostiam in alieno sanguine : patet quod quia melior est illis hostia sua ;

Alioquin oportebat eum ab origine mundi, puta post

transgressionem mandati primi, iterum sæpe, atque iterum mori : *nunc autem semel* veniens *in consummatione* temporum passus est, ut per hostiam suam interimeret peccatum, quod populum omnesque Gentes communiter interficiebat.

Quemadmodum enim *statutum est hominibus semel mori* ob primum eorum peccatum ; et *post* mortem, eorum *judicium* adest :

Sic et Christus semel veniens revelatus est, et *obtulit* seipsum pro peccatis universorum ; *secunda* vero *vice apparebit,* non ut moriatur tunc pro peccatis, pro quibus semel mortuus est ; sed ut appareat in mundo novo, ubi non erunt peccata eorum, qui sperantes expectant salutem ejus.

X.

Umbra enim est lex ; idest, omnia promissa terrena similitudo sunt speciei *futurorum bonorum ; non ipsa imago rerum* perfecta erat, quia imperfecta erat. Sedebant enim illi, et expectabant respicentia ad perficiendos se. Namque si perfecti fuissent, non utique *iisdem hostiis per singulos annos* coluissent quotidie, quæ *nunquam poterant accedentes perfectos facere.*

Si enim perfecissent, cessasset sacerdotium eorum, quoniam quiescerent ab hostiis suis. Et, si munda erat conscientia eorum a peccato, una simul emundati erant ab immunditia carnis.

In ipsis enim *commemoratio peccatorum* quotidie fiebat super eos.

Quoniam nequibat sanguis taurorum, et hircorum expurgare peccata.

Etenim Dominus noster, qui venit in mundum, dixit ex ore David ; *Hostias, et oblationes noluisti : corpus autem aptasti mihi,* ut per sacrificium ejus evacuentur hostiæ sacrificiorum.

Et subjungit dicens: *Ecce* ego jam *veni ut faciam voluntatem tuam, Deus.*

In eo autem, quod dixit; *Venio ut faciam voluntatem tuam, aufert primum, ut secundum statuat.*

Etenim hoc ipso Evangelio, quod evacuavit oblationes sacrificiorum, voluit ipse sanctificare nos *per oblationem corporis Jesu Christi,* quæ facta est *semel.*

Quoniam *omnis sacerdos* constitutus in medio populi, *easdem hostias sæpe offerebat, quæ nunquam poterant auferre* et expiare *peccata.*

Filius autem semel *pro peccatis* nostris *offerens* seipsum *hostiam, in sempiternum sedit in dextera Dei.*

De cætero expectans, donec ponantur inimici ejus sub pedibus ejus.

Una enim oblatione suimetipsius *consummavit* nos per baptismum, et sanctificavit nos usque ad finem consummationis.

Contestatur autem de ista sanctificatione peccatorum in novo testamento latentem Jeremias, dicens: *Dabo leges meas cordibus eorum, et in cogitationibus eorum superscribeam eos.*

Et peccatorum, et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius.

Ubi ergo hujusmodi remissionem pollicitus est nobis, dimittere peccata nostra, *jam non est* necesse nobis *oblationes* legis offerri *pro peccatis* nostris.

Habemus itaque, fratres, fiduciam introeundi in Sancta quæ est Fides;

Quæ in sanguine ejus renovavit nobis hanc viam fidei; habebant enim eam priores; quia tamen antiquata est inter medios, renovavit hanc nobis in hoc tempore per *velamen,* idest, *per carnem suam.*

Quoniam ipse est pontifex quoque noster. Quandoquidem vero hic pro peccatis nostris mortuus est, pro nobis est nobis *pontifex*, non super tabernaculum horæ, sed *super domum Dei.*

Accedamus ad eum *cum vero corde*, ut perfecti simus in fide, quam plantavit in nobis; et fiat aspersio super corda nostra, idest abluta sint per eum corda nostra, ut emundemur a conscientia mala, quæ est cogitatio mali, et baptizemus corpus nostrum in baptismate sanctificationis.

Teneamus in tribulationibus nostris *spem* revelandam suo tempore, et per quotidianam confessionem conversemur sine motione, neque declinemus tamquam derelicti propter moram promissionis nostræ; *fidelis enim est*, *qui repromisit* nobis.

Propter tribulationem autem externorum, vel ob tristitiam internorum non deseramus invicem a manu, sicut consuetudo est cujusdam, sed consulamur unus alterum; maxime quando videritis appropinquantem diem tristitiæ, aut persecutionis.

Sin autem declinamus, et voluntarie delinquimus *post acceptam* hanc *notitiam veritatis,* quæ data est nobis per Christum, *jam non habemus* amplius *hostiam* potiorem, quam Christi, aut sicut ipsum offerendam *pro peccatis.*

Sed *terribilis castigatio judicii, et ignis æmulatio* devorabit inimicos, qui adversarii fuerunt sibiipsis, et proximis.

Si enim qui transgrediebantur infirmum typum Moysis, *sine ulla miseratione* ex ore duorum, et trium testium occidebantur, et locus pœnitentiæ non dabatur.

Quanto magis putemus deteriora mereri supplicia, qui conculcaverit non legem Moysis, sed *Filium Dei, et sanguinem* novi ejus *testamenti pollutum duxerit,* idest tamquam sanguinem vitulæ aspersum super testamentum Moysis;

quum hic adeo major sit eo; quia *per hunc* a peccato, et iniquitate, per baptismum *sanctificati sumus*: *et spiritui gratiæ* sparsæ in nobis *contumeliam* fecerit? hi sunt, qui Evangelium sicut legem Moysis putant.

Porro postquam deterruit illos, adducto et testimonio a propheta dicente: *Judicat Dominus populum suum,* reversus est suggerere illis primum, gaudium scilicet, quod fuit in principio discipulatus eorum.

Rememoramini, inquiens, *pristinos dies, in quibus baptizati,* per easdem aquas, *multas passiones, et certamina sustinuistis;* ea sunt peccata vestra.

Nunc *opprobria,* nunc *tribulationes,* ait: idest, quod lex constringebat illos, ut super oblationes suas manifestarent peccata sua; opprobria autem ex hominibus flagitabant, ne manifestarent. Angustiæ istæ, inquit, quas habebatis in manifestando, et ignominiæ quæ prohibebant, ne manifestaretis; isti ergo fumi conscientiæ, quos præferebatis, quique tamquam magni dolores, et tamquam magnæ passiones amaritudinis erant, oblati sunt a vobis in verecundia modestiæ per baptismum aquarum una cum expiatione quam accepistis. Atque etiam spectaculum traductionis facti fuistis in diebus persecutionis vestræ, et *socii taliter fatigantium effecti,* ut et vos fatigaretis.

Et usque ad hodiernum tempus *vinctis compassi estis, et* ob *rapinam bonorum vestrorum* non estis contristati, sed potius læto animo fuistis; quoniam sperantes sciebatis, quod majora vobis præparata sunt in cœlo pro isto minore, et caduco a vobis sublato.

Videte itaque, ne frustra abdicetis a vobis confidentiam istam, quam ego arbitratus sum vos accepisse; noscitis enim, quod magna est emuneratio in hac.

In patientia enim oportet vos facere voluntatem Dei, et reportare dona hæc promissa.

Nolite autem animo cadere; *adhuc enim modicum, aliquantulum qui venturus est, veniet* in secundo adventu, ipse qui venit in primo adventu.

Justus ergo, quum in eo reperiatur fides, et patientia, vivit: quod si quis dubitatione ac scrupulo laboraverit, quia non est revelatus remunerator, *non placebit* et illa die *animæ meæ*.

Nos autem non sumus in scrupulo, qui perdit cursum nostrum, nosque *in perditionem perducit*; sed in fide, qua comparamus *acquisitionem animæ* nostræ, quæque facit nos præ omnibus excellere.

XI.

Fides autem ipsa nostra non perdet a desperatione, in vera enim spe firmata est. Sunt etiam testes, qui testantur de ea: quamvis enim occultata sit illa mediis, in primis tamen manifesta erat. Est namque argumentum, quod revelat id, quod non apparet. Quale argumentum? nisi illud, per quod factum est testimonium de primis: idest, quia testificata est Scriptura de fide, quod per eam probati sunt patres prisci.

Sumpsit itaque narrare non de fide, quæ successive florescebat in priscis patribus, et antiquata fuit inter Hebræos; sed etiam de illa, quæ ab initio mundi usque ad hodiernum tempus ordinata descendit apud ipsos Hebræos. Quare, ait, abalienatis vos ab illa fide? Ecce enim sine ea neque mundum umquam extitisse, scitis: quandoquidem non in conspectu vestri factus est; (sed) in fide, qua creditis verbo Moysis, aut per traditionem eorum qui Moysen præcesserunt intelligitis, quod Deus fecit verbo suo mundum: ut visibilia hæc omnia fierent ab illo invisibili; idest, aut ex nihilo facta sunt, aut ab invisibili Deo facta sunt hæc omnia visibilia.

Fide meliorem offerebat hostiam Abel, quam Cain, qui tulit viliter selecta: quoniam fides Abel, et infidelitas Cain in muneribus suis obsignatæ erant. Nisi enim credidisset Abel in repromissionem, non elegisset adduxissetque meliores hostias: quoniam viderat ille fratrem suum, qui undique evulsit spicas viles per contemptum, et offerens eas posuit super ara. Propter hanc itaque fidem Abel *testimonium consecutus est* de se, *esse justus;* non quidem ab homine, sed a Deo, *qui testimonium perhibuit muneribus ejus:* ita ut usque ad hodiernum tempus per eam loquatur; idest, per eam probatur.

Fide Henoch translatus est, et non gustavit mortem. Nisi enim credidisset, quod observatio mandati poterat eum introducere denuo, unde egressa est domus Adæ ob transgressum mandati, non studuisset placere Deo ante translationem suam per annos tercentos.

Nam *sine fide*, idest, nisi credat homo, quia est verus Deus, et *inquirentibus se remunerator fit*, neque ultro studebat ille placere, et inquirere.

Fide Noë responsum accipiebat de iis, *quæ adhuc non videbantur,* idest de rebus quæ centum et viginti annis post responsum acceptum erant futuræ atque *ob metum* suum a remotis illis pœnis comminationum *aptavit sibi arcam* magno cum labore *in salutem domus suæ.* Eademque fide damnatus est mundus, qui non credidit, et eadem fides effecit Noë hæredem promissionis.

Fide obediens *Abraham*, reliquit patrem familiamque suam, *ut iret* non in possessionem propriam, sed *in hæreditatem* sibi præparatam.

Fide sustinens *demoratus* est constanter, et habitavit peregrinatione in loco repromissionis tamquam in alieno, tamquam videlicet in hæreditate aliena, *in casulis habi-*

tando ilic *cum Isaac*, *et Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem.*

Per hæreditatem itaque promissam, quam non acceperunt, manifestum fuit, quod *civitatem* illam *fundamentis solidatam*, *cujus* civitatis *artifex, et conditor Deus* est, *expectabant.*

Fide et ipsa Sara virtutem in conceptionem seminis accipiebat, et præter tempus ætatis, sterilis etiam pariebat; idest virtutem ac juventutem suscepit, quæ requiruntur ad conceptionem, et partum, quum senectus impar erat ad sufferendam. Hæc autem omnia facta sunt ei, quoniam in medio Chananæorum gentilium *fidelem credidit esse eum, qui repromiserat* illi id dare.

Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, nondum acceptis repromissionibus, sed a longis temporibus eas aspexerunt; idest, anterius etsi in eadem essent terra, sed non sunt potiti ejus manifeste. Dixit enim Abraham ad filios Amorreorum: *Hospes* et peregrinus sum ego inter vos.

Qui enim hæc dixerunt in medio hæreditatis suæ, *significarunt se aliam civitatem inquirere,* non Haran, aut propriam suam in Chaldea, unde exivit Abraham.

Et siquidem eandem patriam, de qua exierunt, anxii cupivissent, et *ipsius meminissent, habebant utique* in longa vita sua *tempus revertendi.*

Quoniam autem non redierunt, quum poterant, si vellent, redire, notum fecerunt, quod eo *meliorem appetebant*, *idest, cœlestem. Ideo non confusionem sibi arbitratus est Deus*, *vocari* super eos *Deus eorum.* Id est quod dixit ipse Moysi: Ego sum Deus Abrahæ, et Isaac et Jacob; hoc est nomen meum æternum, et memoriale meum de generatione in generationem.

Fide tentatus est Abraham, et hostiam *obtulit Isaac, quem per repromissionem susceperat,*

Ut in eo vocaretur sibi semen. Sed minime dubitavit Abraham, neque dum occideret illum, in eo sibi vocatum iri semen.

Statuit in mente sua, et animum accepit, *quia et a mortuis suscitare potens est Deus : unde eum et in parabolam accepit ;* idest, ut in eo discant resurrectionem mortuorum; utque in eo nosceret filios spiritus, qui sibi erant futuri.

Fide pro futuris temporibus *benedixit Isaac Jacob* filium suum, *et* deinde *Esau :* post nimirum multa sæcula perfecta est benedictio utriusque.

Sic et *Jacob fide benedixit singulos filiorum Joseph ;* nam etsi in ipsa terra Ægyptiorum sint benedicti, et post multos annos demum in medio hæreditatis eorum consummata est benedictio eorum ; nihilominus *adoravit* ille *fastigium virgæ ejus;* quoniam credidit ille, quod revera sepeliret eum Joseph filius suus in monumentis patrum suorum.

Fide Joseph in morte sua, idest in morte sua credidit de egressu fratrum suorum ex illa terra Ægyptiorum ; quum *de ossibus suis mandavit* eis, ut secum portarentur.

Fide Moysen natum occultarunt mensibus tribus parentes sui, et nihil timuerunt metum minarum *regis* in illis tribus mensibus occultandi eum.

Fide Moyses crescens negavit vocari filius filiæ Pharaonis : nisi enim in repromissionem Abrahæ credidisset,

Non contempsisset infici peccato, neque elegisset particeps esse afflictionis populi Dei.

Potiorem æstimavit æmulationem Christi, de quo et ipse quidem scripsit, divitiis Ægyptiorum, quæ sibi accesserant ,quia autem expectans *aspiciebat in remunerationem,*

Reliquit Ægyptum, et egressus est, *non veritus* timorem furoris regis, ne forte perquirens inveniret eum ; quoniam Deus ille, qui non manifeste apparuit ei, tamquam visus in patientia existimatus est ei.

Fide celebravit Pascha, et sanguinis effusionem: hoc est antequam occidisset ille agnum, credidit, quod primogeniti Ægyptiorum interficientur in ipso, et per eum Hebræi salvabuntur.

Fide transierunt mare rubrum; quia scilicet populus credens, qui illuc descendit, tamquam per aridam terram transiet per medium ejus. Ægyptii autem sine fide illuc descendentes, retributionem delictorum suorum susceperunt in medio ejus.

Fide Josue, et populi *corruerunt muri* civitatis *Jericho*; fide enim *circuerunt eam septies* in pace sine prælio, et in sonitu vocis fidei cciderunt turres, et mœnia ejus die septima.

Fide Rahab meretrix non periit; nam ex rumore signorum, quæ facta sunt in Ægypto, et in deserto, credidit, quod revera possidebunt illi terram Chanan, sicut dixit Deus Abrahæ. Quod autem Apostolus adduxerit *exploratores*, qui *excepti* sunt ab ea *cum pace*, voluit ostendere, quod in puritate, et honestate exierunt inde, non enim ob fornicationem illuc ingressi fuerant.

Ne autem in recensendis operibus fidei multiplicet cæteros quoque, relinquit eos; non enim enarravit acta eorum multifariam: nec tamen omisit, qui adducit illos in medium brevi sermone. *Et quid adhuc,* inquit, *dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon*, de fide scilicet Gedeonis, qui tercentis vivis prostravit decem millia Madianitarum; et *Barac,* qui fide sua percussit exercitum Sisar; et *Samson* qui fide sua concidit per maxillam asini mille homines; et *Jephte,* qui intercidit fide sua viginti et duo oppida filiorum Ammonitarum; et *David*, qui fide sua percussum occidit Goliath; et *Samuel*, qui fide sua prævaluit in medio Philistiim; et de cæteris prophetis,

Qui per fidem vicerunt regna, in prophetia, non in gladio: et *operati sunt justitiam*, puta, per vindictas pænarum, quas induxerunt in impios: et *adepti sunt repromissiones;* Helias, qui raptus est: et *obturaverunt ora leonum;* domus Daniel:

Extinxerunt vires ignis, domus Ananiarum: *effugerunt aciem gladii;* iidem, quos quærebant interimere Chaldæi cum sapientibus Babyloniæ; atque Uria, et Helia, et prophetæ; *convaluerunt de infirmitate,* Ezechias rex, et Elisæus: *fortes facti sunt in bello*, Abraham, Loth, Moyses, Josue: *castra prehenderunt exterorum*, Samson, Barac, David, et socii ejus, qui et superius scripti sunt.

Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos: Silomæa, et Sarephthæa ab Helia, et ab ejus discipulo. Alii autem morti traditi contempserunt vitam suam, Macchabæi septem fratres una cum matre: quamvis autem quæ fecerant socii eorum in fide, illi non fecerint, verumtamen *expectantes cupiebant mortem*, credentes quod *meliorem resurrectionem* assequi mererentur.

Alii vero ludibriis, et verberibus traditi sunt, ut Elisæus; *carceribus, et vinculis:* ut Jeremias, et Michæas.

Lapidati sunt, Moyses, Naboth: *Secti sunt*, Zacharias, et Isaias: *Tentati sunt* varie, ut Job: *in occisione gladii mortui sunt*, Michæas, Uria, Johannes: *Circuierunt in melotis, et pellibus caprinis*, Helia, et Elisæus: *Egentes, angustiati, afflicti,*

Quibus dignus non erat mundus: prophetæ, quæ abdiderat Abdias, et cibo nutriebat: *in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ:* quando videlicet audivit Jezabel famam latentium, et quærebat illos, fecit eos fugere, et latere Abdias in aliis locis.

Testimonio est autem magna tribulatio eorum pro

omnibus, quod in fide permanserint, *nondum accipientes repromissiones suas.*

Quamvis autem nos posteriores simus in probatione tentationum, verum et de nobis antea promissum fuit, *ut non sine nobis consummarentur.* Non enim sicut anterior est cursus socii, ita prior erit et remuneratio: namque una dies est dies retributionis omnium tribulationum, quas sustinuerunt ac sustinent homines.

XII.

Ideoque et nos, qui tantam habemus circa nos congestam tamquam *nubem* multitudinem *testium* gravitatis nostræ, idest, futura est nobis nubes tristium tribulationum, qui in dignitatem adducunt plurimos confitentes per Jesum, morientesque pro illo, *deponamus* a nobis *omnia,* ne in aliquo cunctemur pugnare cum peccatis, quæ quotidie parata sunt, ut in delictum nos inducant, et *per patientiam curramus ad propositum nobis certamen,* non a persecutoribus solis, sed ab ipso quoque diabolo.

Aspiciamus non in homines; est enim unus, qui sic probatus est in eo, et alter non: sed aspiciamus *in auctorem fidei Jesum Christum,* qui factus est dux, et *consummator* fidei nostræ: idest, quia cœpit ille a Jordane prælium hostis, quod factum est in deserto, et consummavit in Jerusalem per crucem, quæ erecta est a persecutoribus in Golgotha. Imitemur itaque eum, et sustineamus propter ipsum persecutiones, sicut et ipse; quoniam lætatus est in nobis, et *sustinuit* patientiam crucis a crucifigentibus, *confusione contempta; et* deinde *sedit in dextera sedis Dei.*

Recogitate ergo, *qui talem* patientiam *tulit* propter amorem nostrum a *peccatoribus,* non ab illis, quibus fuit ipse in contradictionem; sed ab iis, qui per incredulitates suas

contrarii extiterunt animis suis. Ne igitur vos tædeat in tribulationibus vestris, neque animis vestris deficiatis in hora tentationum vestrarum.

Adhuc enim etsi persecutionem habuistis, nondum tamen occisionem attigistis: et quamvis in minori certamine restitistis, hactenus tamen nondum usque ad sudorem sanguinis *adversus peccatum repugnastis.* Et hæc, quia sæculares erant, dixit; legalesque erant, et circumcidebantur, et eotenus in observationibus legis inclusi erant.

Adducit illis parabolam exempli ex Sapientia Salomonis, *dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini*, neque derelinqueris.

Quem enim diligit Dominus, etiam castigat.

Quando ergo corripiamini, sustinete; quoniam tamquam filios recipit vos Deus post pœnitentiam, quæ agitur in vobis per illam disciplinam. *Quis enim est filius* ille, *quem non corripit pater suus?*

Quod si extra disciplinam ejus estis, cujus participes facti sunt omnes, et complacuerunt ei; *ergo* operibus vestris *adulteri estis, et non filii.*

Verum enimvero si per disciplinam patrum nostrorum *verebamur* eos; quanto magis persistemus in obedientia per disciplinam patrum spirituum, ut vivamus?

Namque patres nostri, ait, per modicum tempus *secundum voluntatem suam erudiebant nos;* quoniam de eo, quod nobis officiebat, corroborabant, et admonebant nos. Deus autem propter utilitatem futurorum temporum, ut divitiarum suarum participes nos efficiat, laborat in nobis.

Omnis enim disciplina ad tempus *non esse gaudii, sed mœroris videtur; postea tamen fructum bonorum reddit exercitatis,* et emolumentum portant ab ea: et remuneratio eorum justitia est. Hoc autem ideo *(dixit)* ut probaret,

quod etsi per disciplinam ejus proficiant, a justitia tamen retributionis eorum, et gratiæ.

Manus autem *remissas,* et *soluta genua erigite;* idest, *gressus pedum vestrorum* in tribulationibus persecutorum vestri, ne labantur: *ut claudicans,* qui videlicet offendit per negationem *(fidei), non cadat,* et lætificet peccatum, *sed sanetur*; ut per resanationem ejus peccatum morbo laboret.

Pacem sequimini cum omnibus in sanctimonia animæ vestræ, *sine qua,* ut ego supra scripsi vobis, *nemo potest videre Dominum.*

Contemplamini ne quis vestrum *desit gratiæ Dei,* quæ diffusa est super nos per Evangelium Domini nostri. *Neque radix amaritudinis sursum germinans,* idest, secta nequam affligat vos, et per illam multi pereant.

Ne quis in vobis sit *fornicator*, *et profanus*, *ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua.*

Verum, non sicut clausa est porta contra eum, sic clausa est et contra nos. *Scitote, quoniam* etsi *voluerit ille hæreditare benedictionem, reprobatus est*: *non enim invenit pœnitentiæ locum.* Porro pœnitentia Esau, et lacrymæ, non, ut justificeretur magis quam frater suus, erant; sed ut acciperet potestatem super fratrem suum. *Quamquam* ergo *cum multis lacrymis inquisisset*, attamen non est data ei. Non justificationem quærebat ille, ut dixi, sed primitiva. Nam si petisset majorem fratre suo esse in regno cœlorum, minime negatum ei fuisset; sed quia neglexit utilia animæ suæ, et petit terram pinguiorem, quam fratris sui, justificationem minime postulatam non invenit, et rebus, quas præveniens accepit Jacob per fidem suam, privatus est.

Non accessistis, ait, *ad tractabilem montem, qui igne accensus erat,* neque ubi fumus erat, et caligo, et nebula cum cæteris, quæ in monte Sina acta sunt.

Quia autem sufficere non potuerunt populi, *excusaverunt* se ne replicaretur ad eos verbum.

Et ita terribilis erat visio, ut Moyses ipse, qui Deus appellatus est eis, ita dixit: *Exterritus sum, et tremebundus.*

Sed accessistis ad Jerusalem cœlestem, et ad castra *multorum millium Angelorum;*

Et Ecclesiam, quæ in cœlis est, ubi *conscripti* estis: in illa sunt primitivi, priores videlicet, et principes; et *spiritus justorum,* patrum scilicet vestrorum antiquorum, qui perfecti sunt.

Et in testamentum non Moysis, sed novum hoc, cujus mediator Jesus est, qui fuit inter nos et Deum; *et* in *aspersionem sanguinis ejus melius loquentem quam Abel.*

Quandoquidem occisio Abel famosa erat in medio populi eorum, ideo super eam magnificavit istam in conspectu illorum.

Videte, ne seducamini in sectas hæresum et *recusetis* hunc *loquentem. Si enim illi nequierunt effugere eum, qui super terram* jussum dabat, sed recusarunt, ut per Moysen loqueretur; *quanto magis nos* obnoxii erimus judicii, si de cœlis loquenti terga verterimus? Vel illud est, quod super Jordanem fluvium factum est, dicens: *Hic filius meus dilectus*; vel ille, qui locutus est secum in via Damasci.

Cujus vox, ait, *movit terram tunc* montis Sina, *nunc autem repromisit, dicens: Adhuc* secunda vice *movebo, non solum terram, sed et cœlum.* Idipsum repetiit Domini nostri effatum dicentis: Virtutes cœli movebuntur.

Quod autem, ait, *adhuc* altera vice; *declarat mobilium translationem*, quoniam transeunt. Transferuntur autem autem (cœli), et transeunt, non illi, sed cursus luminarium eorum, quæ inclinata pariunt hiemem, et elevata generant æstatem.

Immobile, ait, *regnum suscipimus*. Quod si paradisus, qui non transit, promissus fuit justis, non ergo transit terra, ne forte, transeunte terra, transeat paradisus, qui non transit. Quod si terra non transit, transeuntibus omnibus, quæ post transgressum mandati produxit terra : si hoc ita erit, ergo neque cœli transibunt, quamquam gressus diei noctisque, et tempestates æstivæ, et hybernæ non maneant. Firmiter itaque teneamus *gratiam, per quam servimus*; teneamus nimirum Evangelium gratiæ, ut per eam serviamus *ad placendum Deo*.

Etenim Deus in igne ardens est, et *consumit* vires ignis, puta horrendas comminationes persecutorum vestrorum.

XIII.

Honorabiles sunt *nuptiæ*, et thorus immaculatus. Viden' bene esse supradictum, quia sæculares erant, et legales? quoniam et sacrum connubium, quod secundum legem Moysis erat, inquinarunt illi.

Mementote, inquit, *præpositorum vestrorum;* Apostolorum scilicet sociorum ejus, qui seminarunt in eos verbum Dei: *intuentes vos* vitam, et *exitum conversationis eorum, imitamini fidem* Jesu Christi.

Si *heri et hodie* permaneatis in eo, *et in sæcula* sæculorum perseverabitis in illo.

Doctrinis variis, et peregrinæ vocis sectis, idest doctrinis sacerdotum, decimisque eorum, *nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire* cor nostrum, Evangelio scilicet novo confirmari; non autem electionibus ciborum sacerdotum: nihil enim illis profecerunt, qui talem vitam usurpabant; idest, non sunt expiati, neque vixerunt in eis observatores eorum.

Habemus nos altare, quod superat institutum eorum: *de quo edere non habent potestatem*, non soli Judæi exigui, nec etiam Levitæ, *qui tabernaculo deserviunt.*

Quemadmodum autem *corpora eorum animalium, quorum sanguinem inferebat pontifex pro peccato* interius *in Sancta* ad propitiationem, *extra castra cremabantur;*

Sic *et Jesus* Christus, *ut sanctificaret per suum sanguinem populum* suum, *extra portam* civitatis *pati voluit:* corpus animalium exemplum fuit Domino nostro, et Dominus noster nobis;

Ut et nos *exeamus extra castra;* idest exire, et fieri evangelista prædicationis ejus, et *portare improperium ejus.*

Beneficentiæ autem, et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus, non autem illis, qui in templo ipso offerebantur.

Obedite præpositis vestris, et subjacete eis: idest, deponite ea, quæ legis sunt, et perficite quæ Christi sunt. *Ipsi enim rationem* ac responsum *reddituri sunt Deo,* si seduxerint vos. Obedite ergo eis, *ut* responsum illi reddent *cum gaudio,* non afflicto animo, et gemendo.

Nos ita confidimus, quod *bonam conscientiam* habeatis, consilium videlicet perfectum *in omnibus*; in omnibus, quæ nobis pertinent, bene conversemur.

Amplius autem deprecor vos facere, ut nos adhortemini in hoc, ut celerius ad vos perveniamus.

Deus autem pacis, qui suscitavit *pastorem magnum ovium in sanguine testamenti,* non in eo quod transiit, sed in hoc, quod stat in sæcula sæculorum; ipse enim est *Jesus Christus Dominus noster*:

Consummet vos a testamento legis, quod habetis, in omnia opera bona; *ut faciatis in* omnibus *ejus voluntatem,* non autem in infirmis observationibus legis.

Rogo autem vos, fratres, ut aures præbeatis verbis hisce solatii: quippe qui scripsi, et probavi vobis, quod priora illa omnia, in quibus vos gloriamini, vestigia sunt istorum, quæ per Christum prædicata sunt in vobis. *Paucis* verbis *scripsi vobis* secundum vires vestras: quod si sufficientes eritis, hisce plura scriberem ad vos; immo si perfecti fuissetis, nullius horum opus haberetis.



AD TIMOTHEUM.

Apostolus Timotheum miserat ad Ephesios propter nonnullos Hebræorum, qui conturbabant illos ut legis observationes servarent; quemadmodum scripsit de eis ad Ephesios, dicens: *Nolite itaque esse sicut pueri deturbati et agitati ab omnibus ventis, et doctrinis fallaciæ hominum.* Quoniam autem præsulem Ecclesiæ fecerat eum, non erat civitas persecutionibus obnoxia, quo non festinasset ille ire, et corroborare animos et mentes eorum, qui persecutionem sustinebant. Quia ergo diligens erat et promptus per se; atque Ecclasiarum regimen commendatum ei ab Apostolo fuerat, necnon manus impositio presbyterorum, qui ipsi Episcopi sunt, data erat ei, assumsit scribere ad eum, quale opus nimirum oporteret eum in Ecclesia operari. Et quia instructio hactenus sæcularium erat, ab immolato prohibebant illos Apostoli et a fornicatione et ab esu sanguinis; noluerunt enim illis onus imponere, ut eos prius ad pietatem ex idolorum cultu adducerent. Itaque tamquam ad multarum Ecclesiarum præpositum ad eum scripsit, quomodo debeat ambulare in domo Dei, quæ est ipsa Dei Ecclesia, sic dicens:

I.

Paulus Apostolus Jesu Christi secundum imperium Salvatoris nostri; idest, salvificum clam et palam est mysterium mortificationis nostræ, *et spei nostræ Jesu Christi;* in hoc nimirum fuit spes omnium Gentium desperantium.

Timotheo dilecto filio meo; non ex natura, sed *in fide* ac baptismate; ipse enim instruxerat eum.

Gratia tecum, *et pax*, per dona Spiritus, quæ sunt in te, *a Deo Patre* nostro; qui dignos effecit gentes, quæ Patrem eum nuncuparent, quum nomine solo eum scirent. *Et a Domino nostro Jesu Christo*; ab illo videlicet, qui per carnem ac divinitatem suam Dominus est noster.

Rogavi te in tempore, quo ego ibam in Macedoniam, *ut remaneres Ephesi.* Vide mihi, quia neque discipulis suis cum imperio jussum dabat Apostolus; ita ut et a Timotheo filio suo suppliciter rem petebat. *Ut denuntiares*, inquit, illis qui alienæ doctrinæ sunt,

Ne intenderent fabulis, et genealogiis interminatis, puta, doctrinæ Judaismi, et observationibus legis, neque obedirent historiis præceptorum sacerdotum eorum: quasi genealogiæ verbis, quum inconsumptibiles sint ordines sui, similes sunt per multitudines suas. Aut ne glorientur apud vos per Abrahæ generationem, et duodecim tribus Jacob, tamquam propter multitudinem suam immersi sint. Hæc enim controversias agitant in Ecclesia; et non est in eis fides dispensationis Dei: non est nimirum in eis fides expectans retributionem, omnes enim promissionem donorum eis in terra sunt.

Finis autem præcepti est charitas; idest propter ipsam charitatem ordinata sunt mandata omnia: et ubi charitas est, nihil opus est legis. Charitatem autem dico, non eam, quæ labiorum est, sed *de corde puro, et conscientia bona*, quæ nullis in volucris coinquinata est; *et fide inconcussa*, quæ a nulla doctrina, cunctisque doctrinis non deturbetur.

Ab his enim præceptis charitatis et fidei aberrarunt illi, declinantes vaniloquium Hebræorum;

Qui volunt seipsos haberi ut legislatores doctores,

nescientes vim legis, neque *intelligentes quæ loquuntur:* quoniam contra seipsos loquuntur; neque sciunt ea quæ affirmant, et prætendunt se vera scire.

Scimus autem, quia bona est lex, si quis ea legitime utatur; idest, si quis noscat tempus ejus, sciatque mysteria vera in vestigiis ejus delineata.

Sin autem non comprehendunt, et in præceptis ejus indiscrete firmi stent, sciant hoc, quod justis tum præcedentibus, tum subsequentibus legem, nulla est imposita lex. Namque ex illa lege, unde justificati sunt præcedentes legem, *inde justificati sunt* et illi, qui sub diebus legis erant, et qui post legem. Necesse ergo fuit legem ponere non pro justis, quia minime opus habebant ejus, sed pro *iniquis, homicidis, masculorum concubitoribus,* cæterisque hisce similibus, ut forte ob proximas pœnas legis timerent, et a sceleribus arcerentur.

Gratias autem *ago ei, qui me confortavit in Christo Jesu Domino nostro* stare et perdurare contra tribulationes; et *fidelem me existimavit* tradere mihi Evangelium, *ponens* me *in* illo *ministerio* sacrificiorum, sed in ministerio cœlesti.

Qui prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus: et ecce dignum me fecit hodie, ut persecutionem propter eum patiar, pro eo quia persequutus sum Ecclesiam suam; et contumeliis afficiar propter eum, qui contumeliis affeci ego ministros suos; et efficiar in eo confitens, pro eo quod fui ego secundum legis zelum blasphemans. Misertus ergo est mei, et eripuit me inde, quoniam hæc omnia *in ignorantia* mea *feci* adversus Ecclesiam suam, et *in incredulitate.*

Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide, et dilectione, quæ est in Christo Jesu: idest, superabundavit

in me fides illa quam ego persequebar, et redundavit in me dilectio Jesu Christi, quem olim blasphemabam.

Fidelis est hic *sermo*, *et omni acceptione dignus*, *quod* vere *Jesus Christus venit peccatores salvos facere;* quemadmodum dixit: *Non veni vocare justos, sed peccatores* ad pœnitentiam; per me enim perfectum est opus verbi sui: caput enim peccatorum ego sum.

Sed ideo misericordiam consecutus sum, *ut in me* inveniendo *ostenderet Jesus Christus omnem longanimitatem suam.* Si namque interfecisset me in sua justitia, dum adhuc blasphemabam, quomodo invenisset me gratia sua? Ecce autem nunc vocavit, et magnificavit me in se, ut me faceret exemplar peccatorum, *qui credituri sunt illi*, ut et ipsi sicut me inveniant *vitam æternam.*

Regi autem sæculorum, qui hæc mihi fecit, et viventi, incorruptibili, immaculo, et *invisibili,* qui fecit per Filium suum revelatum universis Gentibus, ipsi *gloria*, *et honor* in sæcula, et *in sæcula sæculorum. Amen.*

Hoc autem *præceptum,* quod scripturus sum, *commendo tibi*, *fili* mi *Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis pulchram militiam,* ad operandum bona opera. Prophetia autem in eo facta, aut ea est, quum quidam novæ *(legis)* propheta locutus est de eo vaticinans, *Vas est ille electum;* aut ipsi quidem data est prophetia: quare præcepit ei, ut una cum prophetia illi data opera quoque bona eidem comparata oportet operari in ea. Idest,

In vera fide quam adeptus es, et sancta mente, quam possides. Sunt enim aliqui repellentes hæc a seipsis opera bona, et mentem puram erga Deum, et ipsa fide privati sunt.

Quorum unus *est Hymenæus*, *et* alter *Alexander*. De illo autem dicto, quod sunt quidam, qui repulerunt hæc

ab animis suis, et fide privati sunt, non ex duabus opinationibus in eos cadit. Vel repellentes a se opera bona, et mentem puritatis, evacuati sunt a fide et non susceperunt eam. Vel, quia fideles erant; quum tamen removissent a se opera bona, et puram mentem, etiam a fide evacuati sunt; atque postea ingenti contrarietate adversati sunt fidei. Subjungit autem, dicens: *quos tradidi Satanæ*, ut discant non blasphemare deinceps. Namque sicut increpavit Barsumam magum, et pseudoprophetam, qui detorquebat viam Dei; dixitque ei; *Cœcus eris, et non videbis solem usque ad tempus;* similiter et istos tradidit dæmonibus, qui intrarent in eos; ut quando admoniti sint de prioribus actis, quæ perpetrabant, arcerentur a blasphemia, qua Dominum nostrum, et pueros Ecclesiæ blasphemarunt.

II.

Obsecro igitur te, inquit, *primum omnium.* Aspice, et vide mihi, quia secundum solitam humilitatem suam obsecrat eum quoque, haud sane ex occasione aliqua obiter occurente. *Obsecro* te, inquit, *ut* ante omnia *facias obsecrationes et orationes* ad Deum *pro omnibus hominibus,*

Et postulationes pro regibus, et gratiarum actiones pro iis, qui in sublimitate sunt, ut in quiete bellorum, et in ædificatione vitam agant; in sanctitate nimirum, et justitia. Fortassis hoc præconium orationis prædicatum hodie mane et vespere in Ecclesia [1] hinc initium accepit.

Hoc si feceris, *bonum est,* ait, *et acceptum coram Deo.*

Qui omnes homines vult salvos fieri ab errore, et fallacia, *et ad agnitionem veritatis venire,* quam et nos prædicamus:

1. Præconium nimirum, quod canitur in cunctis Ecclesiæ officiis: *Pro pace mundi etc.*

Quia *unus* est *Deus*, et non plures, sicut Gentiles autumant: *Unus et mediator Dei, et hominum*: quoniam

Pro salute omnium hominum passus est ille tempore suo; cujus mors jam præfigurata ac præsignata erat in consiliis Genitoris sui, et adnuta in Moyse, cuntisque prophetis.

In quo et ego, qui caput sum peccatorum, *positus sum prædicator*, *et Apostolus; veritatem dico, non mentior*; quoniam factus sum *Doctor Gentium*, non in hostiis sacrificiorum, sed in *fide* veritatis.

Præterea postquam docuisset *viros orare sine ira*, et indignatione, conversus est ad revocandas ad sobrietatem mulieres quoque, ut evacuent ornamenta impudicitiæ futilia, et torturas crinum deauratas, margaritisque contexas, vestemque pretiosam.

Sed sicut decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona, in operibus justitiæ, et modestiæ colant justitiam puritatis.

Adhæc cœpit præcipere eis, ut *in subjectione* persistant virorum suorum, et sacerdotum; atque *in silentio discant* semper.

Numquam autem gradum doctoris illæ sumant, etiam si loquaces sint, et sapientes. *Docere autem*, ait, *mulieri* justum *non censeo;* neque eloquentiorem viro fieri, *sed esse in silentio*, et discere semper.

Adam enim primus formatus est, deinde ejus gratia formata et *Heva* mulier sua.

Et Adam non est seductus; mulier autem præcedens transgressa est mandatum.

Salvabitur autem per filiorum generationem, quæ data est illi cum nisu, et dolore, si afferat sibi studium, et diligentiam *permanendi in fide*, *et dilectione*, justitiaque veritatis.

III.

Si quis, ait, presbyterium desiderat, oportet eum in operibus bonis, quæ sine presbyterio nequit persolvere, aut dum persolvet in presbyterio, *irreprehensibilem esse;* idest donis, et muneribus cujuspiam non alligetur. *Unius uxoris vir (sit),* ut uxoris suæ loco occupatio quædam nimia non sit ejus cum altera.

Et filii iterum ejus ne efferantur ad similitudinem filiorum Heli; sed obedientes sint patribus suis, et omni populo cum omni puritate, et constantia.

Si enim filios suos in disciplina constituere non potest, quomodo poterit Ecclesiæ Dei ordinem dare?

Non neophytum, ne elatus incidat in superbiam, quæ magnum est discrimen *diaboli.*

Diaconi similiter ministri sancti sint in animis suis ab avaritia, et in corporibus suis a doloribus cupiditatis.

Et constantes sint tempore persecutionis *in mysteriis fidei,* et ministrent honorifice mysterium corporis Christi in puritate conscientiæ suæ.

Et hi autem probentur primum, in nonnullis rebus, quæ inferiores sint ordine diaconatui.

Mulieres etiam eorum non sint pedissequæ diaboli, sed mansuetæ; ne per impudicitiam earum blasphementur viri sui; neque maledicant illæ proximis suis penes viros suas, quoniam rectores eorum sunt, sed semper vigilent in bonis operibus, et *fideles* sint *in omnibus,* ne incidant in præstigias, et incantationes.

Hæc autem *tibi scribo,* non quasi spe destitutus te videndi;

Sed *si tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari; quæ est columna firmamenti, et veritatis*

in medio mundi; propter enim ipsam Ecclesiam stat mundus.

Et profecto testatum est, quia *magnum est sacramentum* hujus justitiæ, quod nos prædicamus. *Manifestatum est in carne*, ex Virgine, *justificatum est in Spiritu*, per justificationes nimirum Spiritus sancti, *apparuit Angelis* in nativitate sua, *prædicatum est Gentibus* per virtutes, et signa, *creditum est in mundo* per doctrinam Evangelii sui, et *assumptum est in gloria* Angelorum, et discipulorum in tempore, quando nubes recepit eum.

IV.

Spiritus autem sanctus *manifeste dicit* per prophetas, in quos descendens requievit, *quia in novissimis temporibus* in diebus videlicet ultimis, *discedent quidam e fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis* diabolicis. Vide mihi, quia isti a vera fide declinant, quia dedunt seipsos in aspectum erroris aliorum, et fiunt voluntarii doctores doctrinæ dæmoniorum sibi apparentium.

Qui sua consilia jam abjecerunt ac seposuerunt, idest inquinata est conscientia eorum.

Et *prohibent nubere*, non propter majorem virginitatis gradum, sed quia fœdum videtur in oculis eorum matrimonium. Hæc autem a quibusdam asseruntur de Marcionistis, a nonnullis vero de Manichæis, et de variis sectis. Namque prædicens prophetavit Apostolus de illis post se futuris. Marcionistæ profanum faciunt matrimonium, et Manichæi cibos, quos Deus fecit in consolationem cum gratiarum actione fidelium; idest, in solatium comedentium, et in gratiarum actionem non comedentium. Non enim, ne forte coinquinentur, abstinent se ab illis fideles; sed ut vivant eorum gratia, continent se a lætitia eorum.

Quia omnis creatura Dei bona est; sicut dictum quidem est: *Et vidit Deus cuncta, quæ fecit, et* ecce *erant valde bona; et nihil rejiciendum* in illis, idest nihil abominabile in illis est. Non enim in blasphemia iisdem vescuntur, ut inquinentur: neque ea, quæ venduntur ab ipsis ethnicis occisa, nihilonimus inquinant eos;

Sanctificantur enim illa *per verbum Dei, et orationem,* quam commemorant super ea.

Fœda autem verba Judæorum, et alienas sectas devita; *exerce autem teipsum ad pietatem,* ad opera videlicet justitiæ.

Nam corporalis exercitatio eorum, qui exercent seipsos, *ad modicum utilis est:* quantum enim vivit corpus eorum juvat illos; opera autem justitiæ, in quibus exercentur animæ, semper juvant: hic per bonum nomen, quod acquirere faciunt, et in sæculo venturo per vitam, quam in æternum dant nobis lucrari.

Ne quis autem *adolescentiam tuam contemnat, exemplum bonorum esto fidelibus,* non *in verbo* solo, sed etiam *in conversatione, in charitate, in fide,* et *in castitate.*

Donec ego veniam, attende scripturaram consolationi, et doctrinæ; idest, attende orationi, et lectioni scripturæ.

Et noli negligere, ait, *gratiam, quæ data est per prophetiam cum impositione manuum presbyterorum,* Episcoporum videlicet. Fortassis cum ipsa manuum impositione Episcopatus, quem accepit ille, susceperat et prophetiam.

In his esto, inquit, et huic vacabis præveniens; idest, in his esto, tum studere, tum operari præveniendo: ut manifestum sit per ista opera, te adhuc profecisse.

Attende tibi, et doctrinæ tuæ; et *insta in illis,* ne ullatenus vituperio obnoxius sis et in fide tua; ne in hora tribulationis devies. *Hoc autem faciens,* non solum *teipsum*

salvum facies per bonum visum tuum, sed *et eos, qui te audiunt,* lucraberis.

V.

Viduas honora, quæ vere viduæ sunt; idest, ciba.

Si qua autem vidua sit, quæ *filios, et nepotes habeat, discat* illa a te, primum sua dona domui suæ facere, et deinde aliis. Illæ autem, quæ justitiam non impleverunt, et mutuam vicem beneficii, quam patri, et matri debebant, non reddiderunt, quis credet, quod exteri de illis contenti sint, quum de illis summopere murmurant interni? *Hoc enim* opus, quod dixi, *acceptum est coram Deo.*

Si quis autem suorum, et maxime domesticorum suorum *curam non habet, fidem negavit;* quia non operatur opus, quod fides prædicat: *et est infideli deterior;* quoniam facit id, quod ipse noluit facere.

Præterea eliges viduam ad ministerium diaconatus, quæ *non minus sexaginta annorum* sit, *quæ fuerit unius viri uxor.* Si enim erga primum suum virum constans fuit dilectio ejus, ita ut post ejus mortem alteri minime nupserit, quanto magis continens erit in dilectione Dei?

Si *in operibus bonis testimonium habeat, si filios* suos *educávit,* illosque minime distraxit; *si omne opus bonum subsecuta est,* talis erit.

Adolescentiores autem viduas devita, non est enim in eis spes confugii: honorantur illi gradus gratia, et feruntur ad luxuriandum; caro autem resilit; et volunt nubere.

Judicium præseferentes: *quia primam fidem irritam fecerunt,* priorem videlicet promissionem.

Simul autem et otiosæ discunt circuire domos, loquentes etiam *quæ non oportet.*

Potius *volo juniores nubere,* ne ullam occasionem dent Satanæ blasphemii gratia.

Jam enim multæ conversæ sunt retro satanam, factæque nobis tamquam murum, et decipulum.

Qui bene regere populum norunt presbyteri, *duplici honore digni habeantur*, quam socii sui illis humiliores in operibus suis ; *maxime qui laborant in verbo, et doctrina.*

De illis enim scriptum est in Lege : *Non alligabis os bovi trituranti ;* Et de iis dictum est in ista Nova : *Dignus est mercenarius mercede sua.*

Adversus presbyterum accusationem in occulto *noli mox recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.*

Omnia, quæcumque facis, *nihil in alteram partem declinando facias*, ut subjiciantur tibi ; neque in petitionibus faciam hominum nobilium revereris.

Manus cito, sine probatione *nemini imposueris, neque communicaveris peccatis* eorum, quos tu creas.

Quorumdam hominum peccata manifesta sunt ipsis, *præcedentia* ante ipsos *ad tribunal* judicii, in istis autem, qui properant ad manus impositionem, non solum ante eos, et cum iis pergunt, sed *et subsequuntur* illos peccata, et iniquitates eorum, quos crearunt, et post se reliquerunt.

Dehinc *noli aquam* solam *bibere*, non tamen vinum dico, ut bibas, sed *modicum bibas, propter stomachum tuum, et frequentem tuam infirmitatem ;* invalidus enim factus es a multis jejuniis ; atque propter multiplices infirmitates, quæ jugiter insurgunt in te per occasionem doloris stomachi tui.

VI.

Præcipias insuper, ut *quicumque sub jugo servitutis sunt dominos suos omni honore dignos arbitrentur ;* præsertim illos, qui secum subjugati sunt jugo Christi.

Si quis aliter, in aliena lege aliquid *doceat* pro suo

lubitu, *et non acquiescat* sanæ mentis *sermonibus Domini nostri, et ei, quæ pietatis doctrina est;* idest, si doctrinæ, quæ constat operibus justitiæ, non obediat,

Iste superbia elatus est in adinventionibus propriis, et nihil veritatis ille scit, sed æstuat circa quæstiones et altercationes verborum: *ex quibus oriuntur invidiæ*, et *contentiones*, et cætera producta;

Et corrumpunt mentes hominum, procreando aliena: *qui veritate privati sunt;* et justitiam Dei, veram scilicet prædicationem Dei tamquam quæstum effecerunt.

Tu autem fuge hos: ne inhæreat tibi avaratia eorum.

Quæstus enim noster non caducus est insatiabilis, sed quæstus noster veritas est: et hæc satis erit vitæ nostræ occultæ.

Nam qui volunt divites fieri, incidunt non in unam tentationem; quoniam avaritia eorum, quæ est in eis, in plurimas tentationes inducit illos, et in laqueum variarum cupiditatum injicit eos cupiditas carnis eorum.

Radix enim omnium malorum, quæ ab eis producuntur, et quæ acquirunt, *cupiditas* argenti *est*: *quam quidam*, qui nempe acciderunt nobis, *appetentes*, *erraverunt a fide* veritatis; idest, a via bonorum operum fidei aberrarunt, et alligarunt seipsos sollicitudini malorum, *et inciderunt* in multos dolores.

Tu autem, o homo Dei, hæc, et similia, quæ a Deo removent te, *fuge: sectare vero justitiam*, prædica; *pietatem* evangeliza, *fidem* edoce; *charitatem* comprehende; *patientiam* inveni; et *mansuetudinem* adipiscere.

Et *certa bonum certamen fidei*, quæ aspiciens expectat remunerationem. Et *apprehende* non vitam hanc temporalem, sed *vitam æternam, in qua vocatus es* per prædicationem meam; *et confessus bonam confessionem coram*

multis testibus: hoc est, quia coram multis persecutoribus constanter et viriliter stans confessus es, afflixerunt te, et tu non negasti.

Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia in consummatione; *et Christo Jesu,* qui mortuus etiam est propter hoc;

Ut serves bonam confessionem et fidem sanam et illibatam, et irreprehensibilem; confessionem scilicet tuam coram multis judicibus, et fidem quam hucusque servasti integram, illibatam, et irreprehensibilem; usque in adventum Domini nostri. In nullo diaboli aut hominum alligeris.


Divitibus hujus sæculi præcipe non superbire, neque pro Deo sempiterno *sperare* in caducis divitiis,

Et doce eos *divites fieri in bonis operibus,* fieri liberales, amabiles, non solum proximis, verum etiam *communicare* per dona sua remotis sanctis missa.

Ut per hæc temporalia possint consequi vitam illam, quæ vera est in æternum.

Tu ergo *custodi depositum* horum mandatorum in decore, in sanctitate nimirum, et veritate, *devitans profanas vocum novitates;* quoniam oppositio adauget eas, et *falsi nominis scientia* frequentare eos facit.

Quam quidam putati admittentes, primam fidem suam veram possidere nequierunt.



AD TIMOTHEUM SECUNDA.

Novit Paulus per Spiritum, qui in eo erat, appropinquasse tempus obitus sui, ut exiret de hoc sæculo, et scripsit ad Timotheum ut veniret cito ad se. Primo, ut adjiceret præcipere ei, quomodo eum oporteret conversari in Ecclesia Dei. Secundo autem, ut ipse per mortem suam fieret illi exemplar, et fortitudo quemadmodum fuerat per tormenta, lapidationem, et distractionem. Penulam autem, et libros jussit afferre, aut ut venditis illis, penderet pro domo conducta; aut ut hæreditare faceret, cui justum esset: Timotheus namque etsi charissimus erat, divitum tamen filius fuit.

Quoniam autem Paulus proficisci cupiebat edocere Romam, furore actis Hebræis ad occidendum eum Hierosolymis, ipse Cæsarem appellavit; non quia mortem timeret, sed ut saltem vinculorum catenarum gratia ascenderet ad prædicandum in Urbem: quum sine tali occasione minime licuisset sibi illuc ascendere. Itaque per duos annos indulsit ei gratia, ut persecutionem pateretur, et doceret in urbe romana, etsi existimaret per paucos dies se posse prædicare, et affligi. Is ergo, qui præfectos et domesticos Cæsaris discipulos sibi effecit, nec in domo cujusquam eorum habitare voluit, neque mercedem domus in qua morabatur cum multis, passus est ab ullo eorum persolvi. De his igitur cæterisque rebus ex Roma scribit ad Timotheum, sic dicens:

I.

Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, qui complacuit mihi, et *secundum promissionem vitæ, quæ est in Christo Jesu*, quia voluit ipse prædicari per me.

Timotheo carissimo filio, ex spirituali generatione, *gratia et pax a Deo Patre* nostro sint nobiscum ex omni parte propter persecutores, qui ubique opponuntur nobis ; *et a Christo Jesu Domino nostro*, non autem per Christum Jesum Dominum nostrum.

Gratias ago Deo, quem colo a priscorum animo ; idest, majorum intentione legem præcedentium, non in hostiis sacrificiorum, sed in mente puritatis : *quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis*, ceu verus pater.

Desiderans te videre tamquam filium charissimum; *memor lacrymarum tuarum* propter tribulationes meas ; quique semper oras ; ut implearis tu spirituali gaudio.

Recordationem accipiens securæ, illibatæ, et indubiæ *fidei tuæ*, quæ nullo modo commota est ex tribulatione.

Propterea admoneo te, ut excites, *resuscites*, et renoves *gratiam Dei*, quam suscepisti ab impositione manuum mearum ; Spiritum sanctum scilicet, quem accepisti illa manuum mearum ab impositione.

Non enim dedit tibi Deus per manum meam *spiritum ignaviæ, sed virtutis*, ut resisteres persecutoribus ; *et dilectionis, et sobrietatis*, ut per hæc ædificares, et lucrares fideles.

Itaque tamquam confortatus, et corroboratus ab ipso Spiritu accepto, *noli erubescere confessionem Domini nostri* coram universis hominibus : *neque me vinctum ejus.*

Quamvis enim confessio hæc in medio magnæ tribu-

lationis constituat te; attamen oportet te participem fieri passionum Evangelii persecutionibus laborantis, secundum virtutem Dei, idest juxta auxilium Dei.

Qui nos liberavit nova liberatione, *et vocabit nos vocatione sua sancta,* quæ de cœlo est: *non secundum opera mea*, quoniam blasphemator eram, *sed* secundum voluntatem suam, quam non expectabam, neque sperabam *secundum gratiam, quæ data est mihi ante tempora sæcularia,* sicut et discipulis sociis meis; idest, quod dixit: *Ego elegi vos mihi a principio creationis.*

Manifestata est autem nunc in adventu Domini nostri Jesu Christi, *quæ destruxit mortem* per mortem suam, *et illuminavit vitam, et incorruptionem;* idest, et annuntiavit vitam immortalitatis per resurrectionem suam.

In quo missus sum ego in eodem Evangelio *prædicator, et Apostolus, et magister Gentium.*

Ob quam causam etiam hæc patior, quæ vides in me, et audis de me. *Neque confundor* in iis, quæ viderunt oculi mei, et audierunt aures meæ, et sustinuit corpus meum. *Scio enim* eum, *qui potens est servare* mihi *depositum meum in illum diem,* in quem credidi.

Esto igitur tu non prædicator dumtaxat verborum, sed esto tu bonis tuis operibus forma verborum veritatis, *quæ a me audisti, in fide vera,* et *in dilectione* sincera, quæ est *in Christo Jesu.*

Bonum depositum, quod deposui tibi, *custodi per Spiritum sanctum,* qui abitavit et in te, sicut in me.

Scias hoc quod omnes, qui in Asia congregati erant apud me in solatium delectationis, ob multas tribulationes et viam longam recesserunt a me.

Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe refrigeravit animum meum conspectu suo, et conso-

latione ; *et catenam meam* ab hominibus persequentibus, qui circumdederant me, non erubuit.

Sed quum Romam venisset, mundum secundum, *sollicite quœsivitme, et* magno cum labore *invenit.*

Det illi Dominus invenire misericordiam in illa die, non propter hæc dumtaxat, quæ fecit mihi in urbe Romæ, verum etiam quantum studuit ministrare mihi in persecutionibus, quæ surrexerant in me Ephesi ; quæ sane et tu optime nosti, quia ibi expertus es illas.

II.

Tu ergo confortare usque ad hilaritatem in virtute Spiritus, quem accepisti, una cum communicatione gratiæ Jesu Christi.

Et quœ audisti a me per multos testes ; ea scilicet, quæ testificatus sum, te præsente, coram persecutoribus ubique, *hœc commenda* et tu *fidelibus hominibus ;* ut itidem et illi constituant Evangelium verum per alios, qui ab illis edocti fuerint.

Labora et suffer passiones in æstuantibus persecutionibus *sicut bonus miles Christi Jesu.*

Nemo enim *militans implicat se* hic et vitæ hujus sæculi ; idest, curat umquam videre substantias suas ac possessiones, sed in subjectione permanet ejus, qui eum elegit, *ut ei placeat.* Similiter et homo excutiat seipsum ab omnibus, ut nulli implicetur, nisi prædicare, et pati persecutionem, ut solummodo Domino suo cœlesti placeat.

Et certator, qui in agonem ingreditur, non potest coronam assequi, nisi juxta legem agonis certaverit, nempe juxta formam ludi, et sicut instruxerunt eum, certans vixerit. Similiter et illi, qui discipulatum *(Evangelii)* profitentur, nisi in certamen occultarum tribulationum ingressi

superaverint, et manifestis persecutionibus in eos surgentibus probati fuerint, coronam victoriæ percipere nequibunt.

Et *agricolam* secundum laborem *oportet* et *de fructibus primum* genio indulgere. Similiter et nos cx his laboribus, quos admittimus in hoc mundo, vitam immortalem in altero sæculo percipiemus.

Intellige, quæ loquor tecum per parabolas exemplorum. *Dabit tibi Dominus* sapientiam ad intelligendum abscondita, quæ exposui coram te per manifesta.

Memor esto Jesu Christi; idest, prædica *Jesum Christum resurrexisse a mortuis*, illum qui factus est *ex semine David*, sicut in meo Evangelio scriptum est; vel quod dictum est de Maria, et Joseph, quia ambo de domo David erant; aut illud, quod dicit: *Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus.*

In quo, Evangelio nimirum, suffero tribulationes et passiones: non autem contumelias tantum, aut opprobria sustineo, sed etiam quasi malefactorem quemdam in vinculis de civitate in civitatem deportabant me, et cum catenis de regione in regionem tradebant me. Verum etsi manibus ligatis duxerunt me Romam, linguam meam ligare non potuerunt. Quia autem *verbum Dei non est alligatum.*

Omnia sustineo, ut etiam per catenas meas promissionem vitæ accipientes in Christo Jesu electi, qui audiunt me, inveniant sibi gloriam *quæ est in Christo,* idest in die gloriæ Christi.

Fidelis sermo; justum est videlicet hoc verbum; quod *si commortui sumus, et convivemus.*

Si sustinebimus coram persecutoribus, *et conregnabimus* in consummatione: *si negaverimus* sive in tribulatione, sive absque tribulatione, *et ille negabit nos;* sicut et ipse

dixit : *Si quis negaverit me coram hominibus, et ego negabo eum coram Patre meo in cœlis.*

Si non credimus, non impedimus eum ; *ille* enim *fidelis permanet ; negare seipsum non potest.*

Hæc commone illos, qui a te edocentur, et esto confirmans eos, non coram hominibus, sed coram Deo : Ne contendant verbis, quæ ad nullam rem faciunt *nisi ad subversionem audientium.*

Solicite ergo *cura teipsum* exemplar constituere probum confidens coram Deo, *operarium inconfusibilem,* ut hilari vultu possis deviantes corrigere per verbum veritatis.

Profana autem, et execrabilis vocis *verba* omnium sectarum, quæ aliena sunt a sapientia Scripturæ, remove a te ; quoniam per impietates suas abundantius multiplicantur ; idest, propter eorum iniquitatem insaniunt iniqui ad vestigium illorum.

Et sermo eorum similis est ulceri, quod nominatur *dulce ulcus* ([1]), aut quemadmodum non habetur curatio hujus ulceris, sic et illi non acquirunt sanitatem a fide veritatis ; aut, sicut fodit, et diffedit hic morbus corpora, ita corrumpit, et destruit hæc secta mentes. Jam ecce *a veritate* manifesta *exciderunt* ; ut sunt *Hymenæus et Philetus :* et contra id didicerunt, docent, et asserunt,

Dicentes resurrectionem esse jam factam et finitam, non corporum, sed animarum ; et per hoc fidem eorum hominum, quorum fundamenta quassata erant, subvertunt.

Sed firmum fundamentum Dei stat ; vera scilicet prædicatio, quæ a Deo prædicata est per prophetas, ex Apostolis firma stat in scripturis eorum, *habens signaculum hoc,* resurrectionem videlicet, quia prædicatur in eo : qui enim

1. h. e. *cancer.*

resurrectionem carnis non prædicat, iste super fundamentum illud nequaquam prædicat. *Cognovit* autem *Dominus qui sunt ejus*, ut in omnibus auxilietur eis, et liberet illos quoque ab iniquitate.

Attulit et exemplum verbo suo, dicens: Ecclesia, quæ in orbe terrarum est, magnæ domui similis est; ubi *non solum sunt vasa aurea, et argentea*, quæ ad honorem gloriæ faciunt, *sed et lignea, et fictilia* ad usum contumeliæ. Verum non instar usus venit ministerium vasis contumeliæ in domo magna; sic opus est erroris eorum in Ecclesia.

Si quis ergo voluerit, et *emundaverit se ab* alienis *istis* verbis, quæ docebat, *erit* deinceps *vas honorabile*, *sanctificatum, et utile Domino* suo, paratum non ad corrumpendum mentes, sed *ad omne opus bonum paratum.*

Juvenilia autem desideria fuge, quæ te insequuntur, *sectare vero justitiam*, opera nimirum justitiæ: sectare veram *fidem* erga Deum, et perfectam *charitatem* erga homines. *Pax* autem sit hic, et illic *cum iis*, *qui invocant Dominum de corde puro*, ut non declinent a vera fide sua.

Stultitiam autem, indoctamque contentionem, qua indocti infecti sunt, devita; non habentes enim illi signa facienda, et reponenda verba ad responsionem, *generant* sibi *lites.*

Servum autem Domini, utpote *mansuetum, non oportet litigare* cum hujusmodi indisciplinatis, sed mitem esse, et humilem, sicut edocuit eum Dominus suus, non ad unum quemdam, sed *ad omnes* homines: atque docilem esse, et *patientem* ad discipulos suos.

Atque corripere contrarios, non contumeliis, aut contumacia, sed modestia. Non licet amovere, et rejicere illos a nobis; *ne quando Deus det illis pœnitentiam* per longanimitatem suam, ut quum cognoverint veritatem, *resipsicant*,

animadvertant, et eripiant se a laqueis satanæ, quæ sunt doctrinæ satanæ, *a quo captivi tenentur,* idest, circumamicti sunt iis, juxta voluntatem satanæ.

III.

Præterea per Spiritum effusum in eum locutus est de adversariis, qui postremis diebus insurrecturi sunt super Ecclesiam, sic scribens: *In novissimis diebus surgent homines,* qui non verbis suis dumtaxat, sed etiam conversatione se veritati opponent. Ex ipsis operibus eorum oportet noscere verba corruptionis, quæ docent.

Surgent *homines* non seipsos dantes, quemadmodum ego, in mortem pro hominibus, sed *seipsos amantes:* non nudi, sicut ego, qui non optavi aurum, nec argentum, nec vestimentum, sed *cupidi* argenti: non, humiles, et abjecti, sed *elati,* et *superbi:* non confitentes, sed *blasphemi:* quoniam domesticis suis se corripientibus non obediunt: non benefactores gratiarum, aut redditores benefactoribus, neque mansueti, sed *ingrati,* et effræni.

Non misericordes, prædicatoresque pacis, sed crudeles, et impersuasibiles; non curam gerentes hominum, sed *criminatores* proximorum suorum: non sustinentes, sed *incontinentes*: non benigni, sed *immites*: non mali osores, sed *sine benignitate.*

Non sub tecto recipientes, abscondentesque persecutos, sed *proditores* persecutionem patientium: non desiderantes viam vitæ, sed *voluptatum amatores magisquam Dei.*

Præter quod alieni erant a veritate, quæ agebatur in eo, *abnegantes* ipsam veritatem, cujus speciem præseferunt in operibus suis malis. Serviunt voluntati carnis propriæ, et sub specie veritatis supervestita captivos ducunt homines in errorem fallaciæ. *Hos* porro, in quibus hæc aspicis, *devita.*

Nihil enim proficiunt ex te, quum ornati aspiciunt ad te accedentes: *penetrant domos*, non ad corrigendum et admonendum, sed *ut captivas ducant* in doctrinam sectæ suæ *mulierculas oneratas peccatis*: quibuscum conversantur, et *ducuntur* non in unam, sed in varias cupiditates.

Semper discentes, quotidie videlicet degustantes veritatem, et retrovertentes, *et nunquam* ex toto corde *ad* scientiam veritatis *revertentes.*

Quemadmodum autem Jannes, et Jamnes restiterunt Moysi in illo Veteri (1); *ita et hi resistunt veritati* hujus Novi: *homines corrupti mente* a veritate, et inutiles, *reprobi* videlicet *in fide.*

Quoniam vero insanierunt in his, quæ recensui, deponere ea, et proficere nequeunt; manifesta enim sunt opera sua, quia nihil veri sciunt, sicut et ipsi seipsos noverunt.

Tu autem assecutus es meam doctrinam, et exemplum, quod monstravi ego tibi in meipso; et *fidem* meam, quia in magna probatione prædicavi eam, et *longanimitatem* meam ad fideles, et *patientiam* meam coram afflictoribus.

Et *persecutiones* meas in omnibus locis; et antiquas *passiones* meas a persecutoribus obstaculo mihi factis. Tu namque ipse nosti, *qualia* passus sum *Antiochiæ*, *Iconii, et Lystris.* Antiochia autem non ista Syriae, sed illa Phrygiæ; ubi excitarunt Judæi rectores civitatis, et mulieres divites, et fecerunt tribulationem magnam super eos, expulsis eis extra fines suas. Iconii autem post anteriorem tribulationem suscitarunt persecutionem Judæi, et Gentiles, et lapidantes eum ac Barnabam, ejecerunt illos a civitate. Porro Lystris per accusationem Judæorum illuc venientium ab Antiochia

1. Subintelligitur: *Pacto.*

et Iconio, lapidibus percusserunt Paulum, et eduxerunt eum extra civitatem distrahendo, ita ut putarent eum mortuum esse. Quod autem hæc ita facta fuerint, ecce in Actis duodecim Apostolorum scriptum est.

Ex omnibus autem *eripuit me Dominus,* non, ut me cruciarent, sed ut non occiderent.

Et omnes, qui volunt vivere usque ad finem in justitia, exponant seipsos persecutionibus.

Illi vero, qui sub specie veritatis abscondunt se in mendaciis suis, *proficient in pejus:* idest, in malum eorum crescit, et prævalet fallacia ipsorum, atque illorum, qui seducuntur post eos.

Tu vero permane in iis, quæ didicisti a me, *et* in iis quæ *credita sunt* a Deo per hominem spiritualem. Tu *scis a quibus* hominibus *didicisti.*

Et ab infantia tua in Scripturis Prophetarum educatus es; *quæ possunt* per consilia sua sapientem te reddere *ad salutem,* non dico ad salutem Veteris, sed ad salutem Novi, quæ est *ex fide Jesu Christi,* una cum omnibus operibus.

Præterea *divinitus inspirata,* idest cum scriptis hominum, qui susceperunt Spiritum, non ad prophetandum, sed *ad arguendum, ad corripiendum,* et *ad erudiendum* qualis nimirum vita digna sit via vitæ;

Ut per ea *perfectus sit homo Dei* novus, in omnibus operibus bonis confirmatus.

IV.

Hoc *testificor* ego *coram Deo, et* Domino nostro *Jesu Christo.*

Ut sine intermissione prædices *verbum* et teneas in mente testimonium illud, quod testatus sum tibi in secretis, idest, intus in anima tua, semper. Non autem dico tibi, ubi liceat, ubi non liceat, sed ubi locum tibi inveneris, *argue; increpa* impavide, et ædifica, et doce in omni longanimitate.

Veniet enim tempus, quum sanam doctrinam horum verborum *non sustinebunt* multi ex sapientibus, *sed ad sua desideria,* et sub prætextu scripturarum *coacervabunt sibi magistros* eloquentes, *prurientes auribus* suis.

Auditu, et dictione incident in fabulas mendaces: *avertent auditum* suum *a veritate* propter sinceritatem, et sapientiam ejus.

Tu vero vigila in omnibus ad docendum, et sustine passiones a persecutoribus. Opera autem tua non sint sicut sacerdotes Veteris, sed tamquam Evangelista Novi. Et esto fortificatus in *ministerio tuo*, in evangelizando videlicet.

Ego enim jam oblatus sum, non exigua morte obire, sed sacrificari; *et tempus resolutionis meæ instat.* Namque per sacrificationem suam quievit a persecutionibus, quas sustinuit per multos annos.

Certamen magnum persecutionum omniumque tribulationum *certavi;* et *cursum consummavi*, per mortem, quæ finis est cursus; et *fidem* meam *servavi* inter multiplices passiones, quæ in me insurrexerunt.

In reliquo autem *reposita est corona*, non gratiæ, sed *quam reddet mihi Dominus in illa die. Non solum autem mihi* dabit in justitia, *sed et* omnibus *iis*, *qui dilexerunt*

diem apparitionis *adventus ejus.* Quamvis enim, quæ hic dantur nobis, gratiæ sint, ea tamen quæ præparata servantur, justitiæ sunt. *Festina ad me venire cito*:

Quoniam sub variis causis derelictus sum a primis illis comitibus: *Demas enim me reliquit, diligens sæculum*, idest fugiens tribulationem, unde dona promissionis servata ei erant, et accessit ille ad quietem terrenam, ex qua nihil emolumenti est ei.

Crispus profectus est ad ædificandum *in Galatiam*, et *Titus* ad evangelizandum *in Dalmatiam.*

Lucas Evangelista *est mecum solus. Marcum assume, et adduc tecum; est enim mihi utilis*, non in ministerium meum, sed *in ministerium* Spiritus.

Tychicum autem, qui ministrabat mecum, *misi* ad lustrandos *Ephesios.*

Penulam, et libros membraneos, quoniam quum revelatio mihi facta est in Trojade, ut irem ad ædificandas partes Macedoniæ, illic reliqui, *veniens affer tecum.*

Alexader ærarius multa mala mihi reddidit: dabit illi Deus secundum opera ejus, quæ operatus est in nos. Socius hic erat Simonis *(magi)*, sicut Cæsarensis chronographus indicat.

Quem et tu devita, ait; quoniam calliditate, et invidia diaboli intrantis in eum, eumque roborantis, *valde restitit verbis nostris.*

In primo autem tribunali, quum steti coram Cæsare, *nemo* fratrum *affuit mihi*, *sed omnes,* relicto me ob timorem, *fugerunt: non illis imputetur* hoc ad peccatum: quamvis enim acceleravit fugavitque eos timor, collectos adduxit illos charitas.

Dominus autem mihi astitit, *et confortavit me* viriliter sustinere passiones, et tribulationes circumdantes me: *ut*

per me prædicatio roboretur; idest, ut omnes prædicatores Novi roborentur per me, *audiant omnes Gentes,* qui venerunt ad discipulatum: quoniam *liberatus sum de ore leonis,* de manu videlicet Cæsaris. Namque occidere volebat me primum ejus tribunal; quum responsum ille daret, quam ob causam traditus fuerit a Judæis in manus præsulis, et quare ipse appellaverit Cæsarem,

Liberavit me Dominus ab omni opere malo, sicut salvatus sum ab omnibus, quæcumque scripta erant de me ex accusatione Judæorum; et perducet me *in regnum suum*, quod in cœlis est, quia steti, et prædicavi eum coram terrenis regibus.



EPISTOLA AD TITUM.

Paulus reliquerat Titum Cretæ tamquam præpositum et Episcopum, ut ambulans constitueret presbyteros in singulis civitatibus, aliasque res, quæ variis in locis deessent, corrigeret. Quum autem audivisset Paulus, quod nonnulli ex ipsa circumcisione conturbarent mentes Ethnicorum ad servandos legis observationes, festinavit ad scribendum qua de causa illum Cretæ reliquisset, præcipiens quoque circa illos qui de circumcisione erant; quia illos reprehendere oportebat. Illi enim ob avaritiam suam omnes destruebant domus, et docebant, quæ non licet, turpis lucri gratia. Et quia de Tito quoque dixerant aliqui ex conturbantibus illum non esse a Paulo missum, scribit ei Paulus, et per Epistolam ostendit facultatem, quam habebat Titus etiam sine Epistola. Atque præcipit ei in Epistola, presbyteros constituere, diaconosque creare, et obturare ora eorum, qui de circumcisione erant, omniaque ad suum ordinem restituere: et donec mitteret post eum ut veniret Nicopolim, ibidem commoretur. Propter hæc porro hisque similia aggreditur scribere ad Titum, sic dicens:

I.

Paulus servus Dei, et *Apostolus* Jesu Christi *secundum fidem electorum Dei*, idest secundum fidem, qua electi erant Apostoli; et secundum scientiam non peccati, et mendacii, sed secundum scientiam justitiæ, et veritatis;

Et spei *vitæ*, non transeuntis, sed *æternæ*, *quam*

promisit justus *Deus ante tempora secularia,* ex diebus scilicet Abrahæ dilecti sui :

Manifestavit autem nobis verbum prædicationis temporibus suis, juxta dispositionem repromissionis, quæ ordinata est in cunctis ætatibus occulte, et nemini apparebat ; nobis autem Apostolis revelata est in adventu suo, ut essemus præcones ejus. *Hoc* ergo Evangelium *creditum mihi fuit* non ab hominibus, sed *secundum præceptum Dei Salvatoris* mundi.

Tito' dilecto filio, non ex carnali generatione, ille enim Ethnicus, et ego Hebræus ; sed *secundum communicationem fidei* Dei ; in hac enim ex errore ad cognitionem veritatis genui te. *Gratia* tecum, *et pax a Deo patre* nostro, pro omnibus, quæ tu facis ; *et a Domino Jesu Christo,* non autem per Dominum nostrum Jesum Christum.

Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt in omnibus Ecclesiis, *corrigas, et constituas* diversos *presbyteros,* non in una civitate, sed *per* varias *civitates ; sicut et ego disposui tibi.* Ea ergo, quæ verbo tenus dixi tibi præsens, ecce nunc scripsi tibi per epistolam absens.

Si quis sine crimine est secundum homines, *unius uxoris vir, filios habens fideles ;* ne forte sit blasphemans, et in derisionem habeat sacramentum, quod ponitur in domo ejus.

Neque ambulet ad libitum animæ suæ, sed secundum consilium eorum, qui cum illo fuerint. Diligat autem ipse non ex bonis, sed omnia bona ; et servet sanctitatem, quam ex baptismate adeptus est.

Præsit ipse præterea fideli sermoni doctrinæ ; *ut potens sit* consolari, idest in consolandis auditoribus doceat eos doctrinam veritatis ; *et eos, qui contradicunt* huic veritati, *arguere.*

Sunt enim multi, qui non obediunt conversari spiri-

tualiter, sed legaliter: *vaniloqui* sunt, quoniam non est veritas in eis, neque virtutes aut signa operantur, qui talia loquuntur: quamvis autem sic nudi sint, seducunt tamen mentes hominum; *maxime qui de circumcisione sunt.*

Quos oportet redargui, non solis operibus nostris, quæ eorum factis dissimilia sunt, verum etiam validis verbis congressus, et signis, et miraculis; præsertim per ipsorum gressus, nam pudoris non sunt: *universos* enim *domos subvertere* noverunt, non edocere veritatem, sed *quæ non oportet*; non propter vitam promissam *docent, sed turpis lucri* proprii *gratia,* namque immunda sunt omnia eorum lucra, quoniam illi per hominum mortem comparant sibi utilitates.

Dixit autem quidam ex illis alicubi, *proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, mala bestiæ, ventres pigri.*

Testimonium hoc verum est. Propheta autem ex illis, vel propter aliquod opus eorum dixit, quia impletum est super eos verbum illius tamquam per prophetiam, non quasi antequam illi fuissent, hoc dixerit; quoniam id quod vidit in illis, scripsit, et confundit eos nihil eosdem veritus: vel unus ex prophetis Novi dixit, reprehendens eos; et scripsit ipsis Apostolus velut in ignominiam. *Quam ob causam* et tu secundum similitudinem ejus, qui prophetavit de eis, *increpa illos durius, ut sani sint in fide,* in qua stant.

Non intendant judaicis fabulis, et mandatis hominum, puta sacerdotum suorum; neque avertant illi mentes suas per umbras transactas a veritate, quæ per nos prædicatur.

Omnia munda sunt, omnes scilicet cibi mundi sunt, *mundis;* Judæis autem, quorum coinquinata sunt consilia, et non credunt illi verbo Domini nostri dicentis: Non, quod intrat in hominem, coinquinet eum; nullum mundum

est eis præter scripta in lege sua, *sed inquinàti sunt* illi et *mente, et conscientia;* conscientia videlicet sua erga matrimonium, et mente sua ad cibos.

Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hujusmodi autem *abominati sunt,* quoniam non credunt Evangelio novo, et sunt eadem incredulitate *ad omne opus bonum reprobi.*

II.

Tu autem loquere, quæ decent, non doctrinam legis, quæ ministravit, ac transiit tempus suum, sed *quæ decent sanitatem doctrinæ*: idest,

Senex si quis est, *sanus sit* in fide sua erga persecutores, et *in dilectione.* et *in patientia* erga illos, qui ab eo docentur.

Similiter et mulieres, qui habent facultatem ministerii diaconatus, quotidie bona tantum discant, et beneficæ sint, ita ut per aspectum possint edocere, et instruire adolescentulas.

Teipsum præbe exemplum non unius saltem boni, sed omnium *bonorum operum, in doctrina* per bonam tuam hospitalitatem, quemadmodum ut ego numquam aliquod cupivi. In modestia iterum, et in *verbo sano,* per *Etiam,* et *Non.* Et *irreprenhensibilis* esto coram eis, quos docebis; *ut* alienus, *qui adversarius* noster *est,* velitque imponere nobis verbum sorditudinis, *vereatur* coram auditoribus suis, quum non poterit vere loqui de nobis verba sorditudinis.

Servi dominis suis subditi sint in omnibus.

Non fraudantes, ne reddant judicium furis, sed ostendant veritatem suam; ut per hanc fidelitatem suam ornent sanctam doctrinam, quam didicerunt.

Apparuit enim gratia salutis *Dei omnibus hominibus;* idest, prædicata est veritas populo, et Gentibus, dominis et servis;

Erudiens nos communiter, *ut abnegemus impietatem*, quam operabamur, *et sæcularia desideria*, in quibus ambulabamus: et *vivamus in hoc sæculo*, non sicut olim vivebamus, sed *sobrie*, ne quis uxorem proximi sui cum malitia aspiciat: et *juste*, ne quis desideret possessiones proximi: et *pie* in sanctificatione, quam suscepimus a baptismate: atque in justitia, idest, in donis, quæ egenis largiamur, non quasi aspicientes ad recipiendam retributionem eorum hic, sed

Tamquam *expectantes* recipere *beatitudines spei, et* apparitionem *adventus gloriæ magni Dei:* istud est, quod Moyses dixit: *Deus magnus, et terribilis;* aut revelationem magnæ gloriæ Dei: non enim Pater revelandus est illa die, sed Filius. Quod si adventus Filii est, et non Patris; si ita est, inquam, magnam appellavit revelationem, non Deum; ab amanuensibus autem corruptum fuit, qui sumentes Deo tribuerunt id, quod Apostolus ubique de die revelationis ponebat, dicens: *Magnæ gloriæ Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi.*

Ille porro dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret per baptismum *ab iniquitate,* quam operabamur; *et mundaret sibi,* eligeret nimirum sibi ipsi *populum* proprium, *æmulatorem bonorum operum*: sicut dixit Johannes per Spiritum.

Hæc loquere, et consolare; atque cum consolatione mixta sit etiam argutia: ne forte quispiam ob nimiam suavitatem tuam *te contemnat*; et bonis suis gressibus destituantur.

III.

Admone autem *illos* id, quod ego jam scripsi, quod omnes, qui sub potestate sunt, in subjectione stent; *sintque ad omne opus bonum parati.*

Ne quis etiam raptorem, aut male conversantem blasphemet; neque litigent umquam cum isto, sed *omnem ostendat mansuetudinem ad omnes homines*, demonstrentque humilitatem suam mitem, non ad solos fidei familiares, sed ad omnes homines quoque.

Eramus enim aliquando et nos sicut illi, et in his, in quibus ambulant hodie illi, ambulabamus et nos; atque ea, quæ minime passi sumus ab eis gesta cernere, operabamur et nos. *Insipientes* eramus, sicut et illi; et *increduli* eramus ad similitudinem eorum: *errantes* eramus tamquam illos; et *servientes* variis *desideriis* eorum modo. *In invidia, et malitia*, sicut illi conversantur, conversabamur et nos: atque *odibiles* Deo eramus, et odio invicem prosequebamur, quemadmodum et illi.

Quum autem, non justitia Dei, sed *benignitas humanitatis* suæ *apparuit* super omnes homines;

Non ex operibus justitiæ, quæ faciebamus; nos enim illa opera iniquitatis, quæ superius recensui, operabamur: *sed in misericordia sua* vivificavit occultam nostram mortificationem, et per aquas lavacri regeneravit nos *in renovatione Spiritus sancti*;

Quem effudit in nos abunde; idest, quia sufflavit eum in Apostolos, et distribuit ipsum per linguas igneas, Atque aliqui prophetant per eum, nonnulli interpretantur per eum, cæteri virtutes varias agunt per eum.

Præter eos, quicumque venerunt, ac veniunt in baptismum, ut expientur per eum; ut deinceps justificemur

nos in gratia sua, non ex operibus, sed ab ipso baptismo, et *hæredes simus* post expiationem nostram cohæredes non in terra fluente lacte, et melle, sed *in spe vitæ* per sæcula sæculorum.

Fidelis sermo est, quem dixi : *et per istum volo, ut confirmes* illos semper ; ut per hunc cum præsint, curam gerant bonis operibus ; homines nempe, qui crediderint, quod vere est Deus. *Hæc* enim *sunt*, *et utilia hominibus*, qui venturi sunt ad discipulatum.

Quæstiones autem stultitiæ, *et genealogias*, multiloquia videlicet Hebræorum putra, et pudita ; *et contentiones*, et invidiam, et litigationes scribarum Gentilium *devita* : sunt enim illa inutilia utrique parti, *et vanæ* locutiones sunt veritate carentes.

Hominem, qui mentem habet divisam hærentemque alienæ doctrinæ, *post unam, et secundam correptionem devita* ; idest postquam semel veniens eruditus, et correptus fuerit, revertatur in sectam suam, remove te ab illo.

Talis enim, cui nec veritas certa est, neque falsitas, *subversus est* in mente sua, *et delinquit*, quoniam libavit veritatem, et retrovertit : atque eoipso quia abit, et venit, seipsum condemnat, idest tradit, et obligat se in damnationem.




3 2044 037 706 082

